DE IMMO PARTICVLAE APVD PRISCOS SCRIPTORES VSV

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

PAVLVS SPECHT
LENGFELDENSIS

IENAE
TYPIS G. NEVENHAHNI
MDCCCCIV

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 13. November 1903.

Professor Dr. Edler,
d. Zt. Dekan.

PROOEMIVM.

In *immo* particula tractanda et explicanda quamquam iam multi viri docti versati sunt, tamen res ut absoluta sit tantum abest ut etiamnunc de multis exemplis dubitandi locus relictus videatur. Quam quaestionem pro virili parte expediendam cum aggressus essem, consentaneum fuit me inprimis priscos scriptores perscrutari. Nam quicumque rebus grammaticis operam dant, eis a primordiis nascentis linguae initium capiendum est; neque vero a recondita aliqua quae insita fuerit in lingua latina necessitate, sed ab ipsis auctoribus, quorum ex consuetudine loquendi paullatim leges certae conformatae sunt.

Quorum auctorum princeps est Plautus, cuius ex fabulis viginti et una etsi non omnes integrae, tamen plurimae paene totae ad nostram aetatem venerunt: quibus nullus fons est magis idoneus, ex quo eruantur leges linguae vetustioris. Quare Plauti studio deditus primum de *immo* particulae usu apud illum quaerere coepi. Postea vero praeter hunc etiam fabularum scriptorem florentissimum Terentium perlegi neque non ceteros perscrutatus sum scaenicos poetas, ut tragicos ita comicos, quorum fragmenta collegit Ribbeckius. Quamquam in fragmentis perpauca tantum exempla, quae quaestioni meae usui esse possint, exstare facile cognovi. Invenitur *immo* apud M. Pacuvium et L. Accium tragicos, apud Cn. Naevium, Caecilium Statium, L. Afranium, L. Pomponium Bononiensem comicos, praeterea uno loco, qui neque cui poetae neque cui fabulae tribuendus sit constat.

I.

Pauca praemittenda videntur de ratione, qua *immo* particula scribenda sit, utrum geminata an simplici littera m; neque enim puto hanc quaestionem, etsi nunc fere omnes consentiant, omnino praetermitti posse. Iam Handius, qui fusius de hac voce egit, in scriptis codicibus antiquissimis Vergilii aliorumque scriptorum dicit legi *immo* duplicata m. Qui vero una littera m scribi maluissent *imo*, eos ad vocabulum *imus* respexisse, pro quo videatur etiam scriptum fuisse *immus*, quemadmodum *summus* et *sumus* in usu fuissent. Sed potius quam etymi quaestionem, de qua viri docti valde dissentiunt, tractemus, quaeramus, quomodo priscis temporibus vox scripta sit. Ad quod cognoscendum proficiscemur Fleckeisenum secuti (cf. Krit. Miscellen, Leipzig 1864 pg. 37 sq.) a praeceptis, quae Ritschelius in „priscae latinitatis monumentis epigraphicis“ pg. 123 proposuit: „geminatio consonantium nulla ante Ennium, ferme ex aequo fluctuans ab a. circiter 580 ad 620, praevalens ab a. 620 ad 640, fere constans ab a. circiter 640.“ Cum igitur Plautus iam quindecim annis ante Ennium mortuus sit (h. e. a. 570), certe in fabulis ab ipso Plauto scriptis geminatio consonantium aut raro aut omnino non adhibita est. Quamquam ex libris manu scriptis qui aetatem tulerunt id videre non possumus, quos librarii vel grammatici primi saeculi rationem scribendi secuti exaraverint, ut nisi neglegentia quadam illud genus scribendi relinqui non potuerit. Quod de geminatione in universum, id etiam de particula *immo* valere consentaneum est. Quodsi nonnullis locis libri manuscripti scripturam *inmo* exhibent, ut Aul. 765 D, Most. 669 D, Men. 821 B, Mil. 422 B, Poen. 1360 B, Pseud. 873 B et scripturam *imino*: Cas. 668 E et praeter has scripturas etiam scriptura *imo* invenitur Cas. prol. 38 in E, Men. 546 in D (prima manu, secunda *immo* correcta), Pseud. 495 in B, id vitio calami tribui posse existimo, praesertim cum illae scripturae tantum in codicibus, quorum ope recensio Palatina restituitur, inveniantur, non in codice Ambrosiano palimpsesto

saeculi, ut videtur, quarti, qui semper exhibeat scripturam *immo*. Quod cum ita sit, viri docti praeter Madvigium nunc omnes scriptura *immo* utuntur, et recte utuntur; nam nos non Plautina orthographia uti solemus, sed illius aetatis, qua certum scribendi genus studiis grammaticorum firmatum atque expolitum exstitit, i. e. primi p. Chr. n. saeculi. Sed de ratione, qua *immo* particula scribenda sit, hactenus; vertamus nos ad collocationem.

Priusquam de collocatione ipsa verba faciamus, praemittendum est *immo* particulam nullo loco apud scaenicos poetas solam inveniri, id quod etiam de aliis scriptoribus valere moneo. Nam qui unus locus videtur huic regulae repugnare, re vera non repugnat, scil. Bacch. v. 211, ubi in libris scriptum legimus: ‖ *Tanto hercle melior Bacchis.* ‖ *Immo.* ‖ *Immo hercle abiero* | *Potius.* Cum qui hunc versum antecedunt et qui sequuntur versus sint iambici senarii, hoc loco metrum recte se non habet. Itaque Bothio suadente nomen *Bacchis* deleverunt Bentleius et Hermannus, quod recte fecisse videntur, quamquam *Bacchis* nomine servato prius *immo* possit tamquam ex altero ortum esse videri; nam *Bacchis* nomen supervacaneum est neque quisquam, si antecedentia perlegerit, dubitabit, quin verba *tanto hercle melior* ad meretricem pertineant, cum *immo* priore remoto ironia, ut ita dicam, quae certe particula *immo* ab altero repetita efficitur, deleatur. Itaque una cum omnibus editoribus Bothium secutus ita versum scribi volo: ‖ *Tanto hercle melior.* ‖ *Immo* — ‖ *Immo hercle abiero* | *Potius.* Pistoclerus enim adulescens, cum Chrysalus servus interrogaverit: *ecquidnam meminit* (scil. *Bacchis*) *Mnesilochi?* miratur de re, quae certa esse ipsi videtur, quaerere alterum (v. 206) et opinione falli verae contraria (v. 207). Respondet per *immo* ita, ut Chrysali verba non solum reiciat contraria efferens, sed etiam illius dubitationis repellendae causa graviora argumenta proponat. Bacchidem non solum meminisse Mnesilochi, sed semper miseram amantem eum desiderare et nominare. Item v. 211a particula *immo* incipiens Bacchidem sine Mnesilocho vivere se posse negavisse vel aliud simile Chrysalo persuadere conabatur, cum Chrysalus eius

verba semper ab *immo* particula incipientia interrumpit ironice per eandem vocem, dicens haec: *Immo hercle abiero potius,* et ita interrumpit, ut ille nihil proferat nisi: *Immo.*

Immo igitur particulam per se poni non posse apparet, sed coniungitur cum totis enuntiatis aut singulis verbis ita, ut saepius ad vim augendam particulae quaedam affirmativae accedant. Particulis affirmativis auctam, ut exempla afferam, *immo* vocem invenimus his locis Plautinis: Cist. 515; Most. 335 *immo — quidem;* Men. 935 *immo — — quidem;* Cas. 994 *immo — — — — quidem;* Amph. 368. 686; Aul. 307; Men. 535. 1079; Pers. 719 *immo equidem;* Bacch. 1192 *immo equidem pol;* Asin. 922 *immo — — — — — pol;* Aul. 262; [Bacch. 1100]; Capt. 209. 287. 289; Cas. 456; Men. 678. 1068; Mil. 422. 462; Pseud. 1199; Rud. 1161. 1305; Truc. 190 *immo edepol;* Most. 1082 *immo edepol — profecto;* Most. 766; Pseud. 873 *immo edepol vero;* Epid. 667 *immo edepol — quidem;* Rud. 994 *immo — profecto;* Bacch. 211; Cas. 369. 403; Men. 821; Merc. 759; Poen. 1231; Rud. 986. 1097. 1367. 1390 *immo hercle;* Cas. 403 *immo — hercle;* Rud. 961 *immo hercle etiam;* Asin. 616; Cas. 38; Men. 656; Most. 907; Truc. 422 *immo hercle vero;* Rud. 1369 *immo — quidem hercle vero;* Mil. 443 *immo ecastor;* Bacch. 672; Poen. 284; Pseud. 607. 635 *immo vero;* Truc. 957 *immo — vero;* Capt. 608 *immo enim vero;* Pseud. 31; Stich. 704 *immo enim;* Bacch. 221. 316; Curc. 453; Mil. 1401; Poen. 188. 315; Pseud. 324; Rud. 441. 1123; (Epid. 518); Vid. 83 *immo etiam;* Most. 1110 *immo etiam — quoque;* Bacch. 892 *immo — quoque;* [Rud. 1266 *immo potius*]; Asin. 941; Capt. 341; Most. 669 *immo — potius.* Accedunt formulae *immo si audias* et *immo si scias*: Bacch. 698; Epid. 451 *immo si audias;* Cas. 668; Curc. 321; Merc. 298; Pseud. 749 *immo si scias.*

Sed ut simul cognoscamus, utrum certam regulam servaverit hac in re Terentius necne, liceat mihi afferre etiam Terentianos locos: Heautont. 852 *immo — quidem;* Adelph. 247. 483. 928 *immo hercle;* Phorm. 644 *immo — hercle;* Eun. 562 *immo — — — hercle;* Andr. 854; Phorm. 936. 1047; Hec. 726 [877] *immo vero;* Eun. 329; Phorm. 528 *immo enim vero;* Andr. 823; Phorm. 338 *immo enim;* Andr. 655. 673. 708; Phorm. 877;

Hec. 869 *immo etiam;* Heautont. 928. 1010 *immo — potius;* Heautont. 799 *immo — — potius;* Heautont. 599. 770; Eun. 355 *immo si scias.* Etiam in fragmentis comicorum et tragicorum *immo* vocem particulis auctam invenimus: Caecil. Stat. Ribb. com. frgm. pg. 65 V *immo vero;* M. Pacuv. Ribb. trag. frgm. pg. 143 XIII[b]; L. Acci Ribb. trag. frgm. pg. 257 XIII *immo enim vero.*

His ex locis allatis, et Plautinis et Terentianis et aliorum scaenicorum, sequitur, ut *immo* vox, quaecumque particulae ad maiorem dictorum vim efficiendam adponuntur, semper priorem occupet locum; cuius legis testes sunt etiam formulae *immo si audias* et *immo si scias.* Ceterum eae quoque quae accedunt particulae semper eodem sequuntur inter se ordine. Etiam ubi cum aliis vocabulis coniungitur, *immo* enuntiati locum tenet fere primum. Id permultis ex locis intellegimus, quos nunc enumerare longum est. Duo tantum versus eis quae modo proposui obstant. Sunt autem hi: Aul. 765 ‖ *Negas?* | ‖ *Pernego immo: nam neque* etc., Capt. 354 ‖ *Numquae causast quin, si ille huc non redeat, viginti minas* | *Mihi des pro illo?* ‖ *Optuma immo.* In his versibus *immo* secundum habet locum. Qui versus auctoritate librorum firmantur et bene se habent neque est, cur verba traiciamus. *Immo* sequitur unum vocabulum nullo alio adiecto — cf. Aul. 262, qui locus est simillimus Captivorum versibus 353. 354; sed hoc loco ad vim dictorum augendam Euclio senex *edepol* addit — quod vocabulum, ut vim haberet maiorem, priore in loco collocatum esse existimo. Ceterum, ut commemorem, *immo* alii verbo postpositum (cf. Antibarb. der lat. Sprache sub voce *immo*) invenitur etiam apud scriptores, qui post Ciceronem floruerunt, exempli gratia iam apud Livium (ut XXXV, 49, 13; XXXVIII, 43, 6; XXXIX, 40, 7; cf. Weissenborn. ad Liv. XXXV, 49, 13); qui usus cum Plautino comparatus similis videtur ita, ut hos duos locos Plautinos esse quasi primordia illius posteriorum usus facile suspiceris.

His igitur ex observationibus sequitur regula haec: *immo* vox primo loco ponitur, si adiuncta est alia par-

ticula; quae si deest, raro etiam postponitur, scilicet ut verbum cum *immo* voce coniunctum maiore vi efferatur.

Plerique qui de usu *immo* particulae quaesiverunt, ab etymo ordiendum esse arbitrati sunt, quo patefacto exempla facilius explicari posse putabant. At de etymo admodum incerta res est. Handius (Tursellinus seu de particulis lat. tom. 3 pg. 218) proficiscitur ab *immus* sive *imus* (= infimus; cf. W. Corssen, Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung der lat. Sprache, I² pg. 102; II² pg. 547; Bréal et Bailly dictionnaire etymologique latin pg. 132), Ribbeckius (Beiträge zur Lehre von den lat. Part. pg. 6) ab *ipsimus*, Kuehnerus (Gramm. der lat. Sprache I pg. 121; II 2 pg. 1024 adn.) dicit *immo* particulam ortam esse ex *in-mo* (vernacule „im Innersten"). Anno autem 1890 Stowasserus vir doctus Vindobonensis (cf. Wiener Studien XII pg. 153 sqq.; Archiv f. lat. Lexikographie u. Gramm. XII pg. 418; Lat.-deutsch. Schulwörterbuch sub voce *immo*) de *immo* particula fusius disseruit novamque de huius vocis etymo sententiam quam protulit tantopere ceteris praestare dixit, ut quicumque antea in hac quaestione versati essent, eorum sententias falsas esse affirmaret. Cuius sententia est haec: cum exstent verbi *emo* composita: *abemo* (Paul. Festi), *adimo, dirimo, eximo, interimo, perimo, redimo* et *como, demo, promo, sumo* (eorumque composita), mirum videri, quod idem verbum cum *in* praepositione non componatur. Sed re vera etiam hoc compositum in usu fuisse; si non eam quae exspectetur formam *inimo,* attamen quae celeriter dicendo inde orta sit forma *inmo* — sic inveniri in nonnullis Nonii et Plauti codicibus[1]) — aut *immo* (*īmo*), ita ut *inmo* eodem modo in *imo* mutetur quo *submo* in *sūmo* (*submo, summo, sumo*). Sensum igitur *immo* vocis esse: „ich nehme an" („halt", „schätz") atque, cum et assentiendo et negando 'inimere' possimus, per *immo* aliquid aut affirmari aut reici. Qua de causa vocem *immo* fere tantum in colloquiis usitatam

1) Si ex eo, quod pauci codices (Plauti D et B) paucis (sex) locis exhibent *inmo,* de etymo concludere liceret, haec scriptura eodem modo quo ad Stowasseri sententiam ad Kuehneri fulciendam valeret.

esse, ubi desint colloquia minus locum habere, velut apud Caesarem omnino desideretur; longe saepissime a fabularum scriptoribus usurpatam esse, et apud eos semper fere primam personam singularis intellegendam [1]). Quae postquam disseruit Stowasserus, ad suam sententiam confirmandam affert exempla quaedam Plautina et Terentiana: Pseud. 495 vertit „ich glaube, gar sehr“, Pseud. 625 „ich glaube, da steht er schon“, Pseud. 710 „halt beides“, Pseud. 728 „ich glaub' gar? Viel lieber will ich ihn als einen Freien!“ Sensum igitur neque affirmandi neque negandi in *immo* inesse statuit, exprimi tantum rationem quae sit inter sententias colloquentium: simul declamationem et gestus accedere ad rem recte significandam, ut Pseud. 920 „Geh', ich bitt', schnell! || Ich glaub' gar? ich will langsam gehn!“ Ut nos indignantes dicta alicuius reiciamus verbis „ich glaub' gar“, ita Romanos uti voce *immo,* atque ubi sententia dictorum non certe effici videatur, addere particulas, exempli gratia Andr. 708 *immo etiam* = ich nehme es sogar an [2]), Pseud. 607 *immo vero* = ich glaub' eigentlich (in Wahrheit), Pseud. 635 *immo vero,* Phorm. 528 *immo enim vero* = eigentlich glaub' ich nämlich. Quae in Senecae scriptis saepius legamus, *immo contra* eodem modo explicanda esse. Addit Stowasserus denique locos digestorum, quos, si illam doctrinam sequamur, bene intellegi putat: scil. lib. XLI tit. 3, 49 (Labeonis pithanon l. V) ubi Paulus, Labeonis epitomator, ad ea, quae Labeo statuit, adnotat: *immo forsitan et contra*, quae verba Stowasserus vertit „ich denke, vielleicht auch umgekehrt“; adde dig. XXXIII 7. 5; XXXVIII 2. 51, ubi Paulus suam sententiam Labeonis opponit verbis *immo contra,* quae Stowasserus vertit „ich denke, im Gegenteil“.

Quid de hac Stowasseri sententia iudicandum sit, ex eis, quae infra exponentur, apparebit; nunc moneo ad significationem eruendam non ab etymo proficiscendum esse, utique incertissimo, sed ex ipso usu exemplis firmato auxilium petendum erit ad illam quaestionem recte diiudicandam. Itaque nunc et Sto-

1) Dubitari potest de Poen. 669.
2) Cf. pg. 51.

wasserum et illos, qui antea de *immo* particulae etymo egerunt mittam ad exempla tractanda me conversurus, postquam paucis ceterorum de hac re sententias brevi conspectu proposuero.

Atque primus commemorandus est Handius (Tursellinus seu de particulis lat. a. 1836 tom. 3 pg. 218–234). Neque vero illius explicatio, quamquam in universum non displicet, talis est, ut res expedita esse videatur. Nam ea qua utitur distributione modo separantur exempla, quae inter se similia sunt, modo commiscentur quae separanda fuerunt, id quod in primis valet de eis locis, quibus particulae quaedam ad *immo* vocem accedunt. Longum est singula genera, quae quidem sunt plura — exempla enim congessit magis quam digessit —, perlustrare neque multum ex tali tractandi genere lucrabimur ad rem cognoscendam. Holtzius, qui post Handium rem tractavit (Syntaxis II [1862] pg. 303—308, praeterea cf. pg. 285, 341, 359), non solum illius sententiae assentitur, sed etiam eadem distributione, quam Handius fecit, utitur, nisi quod interdum exemplis Handianis nonnulla addit. Breviter de *immo* particula agitur in Antibarbaro sub voce *immo,* quae observationes, ut consentaneum est, non sufficiunt ad totum usum diligentius explicandum. Quae Kuehnerus (Gramm. der lat. Sprache, Hannover 1877) dicit de hac re II 2 pg. 1009, 4; 1024 adn. (idem de genere scribendi I pg. 121, de prosodia I, pg. 66, 8), a vulgata sententia non discrepant. Age vero nunc ad exempla transeamus.

II.

Per *immo* vocem respondetur interroganti.

De *immo* vocis usu nunc disputaturo, qualis ex ipsis exemplis scaenicorum poetarum, praesertim Plautinis, appareat, consentaneum mihi videtur principium capere a simplicissimo, ut ita dicam, genere sermonis cotidiani, scilicet ubi alter alterum percontatur, alter respondet. Illa autem exempla digerenda esse puto in partes duas, et in ea, quibus alter, quale responsum exspectet, particula quadam indicat, et in

ea, quibus nullo verbo certo demonstratur, quid censeat ille, qui interrogat, ita ut alterum aut probaturum esse aut reiecturum ea, quae alter ex eo quaesiverit, exspectes; quamquam etiam in his sunt, quibus ex ipso interrogandi genere sententia alterius aperta sit.

I. Particula interrogativa demonstratur, quale responsum exspectetur.

1. Si quis *num* particulam adhibens alterum percontatur, ita ut negaturum esse illum ea, quae ex eo quaesita sint, exspectes

a) verba, non sententia interrogantis reiciuntur, ipsa sententia confirmatur exemplis his:

Aul. 161. ‖ Num non vis me interrogare te? ‖ Immo si quid vis roga.

Quae exspectantur verba „optume volo" (ut Most. 337) aut „sane volo" (ut Poen. 1079) aut similia non discrepant ab eis, quae hic respondentur, nisi quod hic per imperativum Eunomia se interrogari velle maiore vi demonstrat.

Pseud. 728. ‖ Si servos est,
Numquid refert? ‖ Immo multo mavolo quam liberum.

Rud. 1305. ‖ Quid tu? num medicus quaeso's?
‖ Immo edepol una littera plus sum quam medicus.

Adelph. 247. ‖ Numquid vis quin abeam? ‖ Immo hercle hoc quaeso, Syre: etc.

b) cum sententiae interrogantis contraria opponatur, verba quibus ille interrogavit ita reiciuntur, ut augeantur vel corrigantur, exempli gratia:

Most. 1032. ‖ Numquid Tranio
Turbavit? ‖ Immo exturbavit omnia.

Theopropides per *immo* particulam dicit non solum turbavisse res Tranionem, sed etiam exturbavisse omnia.

Most. 1110. ‖ Vide sis, satine recte: num mucci fluont?
‖ Immo etiam cerebrum quoque omne e capite emunxti meo.

Pseud. 495. ‖ Numquid peccatum est, Simo? ‖ Immo maxume.

Nunc sequantur duo loci, qui peculiarem quandam habent formam et interrogationis [1]) et responsi,

Aul. 262. ‖ Nulla controversia mihi tecum erit: sed nuptias
Numquae causast quin faciamus hodie? [2]) ‖ Immo
edepol optuma.

Capt. 354. ‖ Numquae causast quin, si ille huc non redeat,
viginti minas
Mihi des pro illo? ‖ Optuma immo.

De collocatione vocis *immo* cf. pg. 7.

Interrogatio enim et responsum ita se habent inter se, ut contrarius sensus effici videatur ei qui postulatur, neque mirum est, quod viri docti versus aut traditos nova ratione interpretari aut aliquo modo sanare student. Velut Brixius (ad Capt. 354), qui Capt. 354 codicum meliorum scripturam *optuma* contra scripturam deteriorum *optume* defendit, ita effici sensum bonum exponit, ut mente substituamus verba interrogantis forma positiva post *optuma,* ad suam sententiam confirmandam proponens conferenda verba Kuehneri, qui similia etiam apud alios scriptores inveniri docet gramm. lat. § 241, 4, ubi agit de breviloquentia: saepius substituendum esse in posteriore parte enuntiati ex antecedenti *nego* verbum *dico,* ex *veto iubeo,* ex *nolo volo,* ex *nescio scio,* ex *nequeo queo,* ex *ne ut,* saepissime coniunctionibus adversativis antecedentibus. Contra Ussingius scripturam *Immo edepol optuma* (cf. ad Aul. 262 [254]) retineri posse negat, nisi versum intercidisse coniciamus,

1) Cf. Albinus Prehn, quaestiones Plautinae de pron. indefin. pg. 22.

2) Versum traditum claudicare dicit Ussingius: neque enim esse verisimile particulae *immo* priorem syllabam corripi, quam ob rem *immo* vel *edepol* censet omitti posse. Eadem de causa iam antea Harius et Weisius deleto 'est' ediderunt 'numquae causa?', verba transponens 'numquaest causa?' Wagnerus, cuius rationem, quamvis facilis videatur, tamen refelli usu Plautino contendit Seyffertus (cf. Stud. Plaut. pg. 4). Rectam viam sanandi versus ingressus est Brixius, qui in Fleckeiseni ann. 131, 207 proponit verba traicienda sic: 'Numquae causa est quin faciamus hodie?', qua ratione fit ut metrum recte se habeat. Versus est trochaicus septenarius et similis est alius, Capt. 289, ubi *immo edepol* eodem versus loco inveniuntur.

aut scriptura *Optuma immo* (cf. ad Capt. 353 [352]) si retineatur, necesse esse audiri non id quod praecedat, sed contrarium contendit; atque ponit cum aliis (Brixio Aul. 262 *immo hercle optume* scribente et Gepperto Capt. 354 *immo optume*) pro *optuma* adverbium *optume,* quae est scriptura codicum deteriorum. Sed fortasse neque interpretanda sunt verba Brixii ratione neque mutanda, cum simul duobus locis codices meliores *optuma* exhibeant, ita ut alter locus altero fulciri videatur. Nitor in loco Terentiano, qui illis quasi subvenire mihi videtur, Andr. 949: ‖ *O lepidum patrem!* | *De uxore, ita ut possedi, nil mutat, Chremes?* ‖ *Causa optumast,* ubi Spengelius (in Andriae editione) adnotat per haec verba, quae vertit „alles in Ordnung“, Chremetem valde sibi placere rerum eventum exprimere atque confert Plaut. Aul. 262. Quicumque igitur dictione *causa optumast* utitur, is alicuius verbis assentitur aut omnino sibi placere aliquid dicit. Quam ad sententiam confirmandam etiam alium locum Plautinum aliquid valere existimo, Trin. 1188: ‖ *Numquid causaest quin uxorem cras domum ducam?* ‖ *Optumumst.* Nam sive *optumumst* (cf. Ritschel., Goetz. et Schoell. editores) scribendum est sive *licet* (sic Baierus de Plauti fab. rec. pg. 80, qui *optumumst* Plautinum esse negat, sed *optumest,* et Leo, qui adnotat: vel scribendum *optumast*), utraque scriptura eodem spectat, quo *causa optumast* spectare vidimus. Sequitur, ut duobus his locis scribendum sit *optuma* substituendumque ex antecedentibus *causa,* idque alio sensu: non causa, cur aliquid fiat, sed causa (= res), de qua agitur. Quae cum ita sint, respondetur id, quod exspectatur, atque per *immo* particulam, ut etiam aliis locis, alter reicit ea, quae alter quaesivit, verbis contrarium maiore vi confirmans.

2. Si per *non* particulam interrogatur, exspectamus ea, quae interrogentur, confirmatum iri; et exemplorum maiore in parte ita res se habet; nam

a) interrogata confirmantur, etsi habemus interrogationem negativam et responsum positivum, ex quo sequitur, ut contrarium eis verbis, quibus alter rogaverit, verum esse alter respondeat. Exempla sunto:

Men. 535. || Non meministi, obsecro?
Redde igitur spinter, si non meministi. || Mane.
Immo equidem memini: etc.

Menaechmus (II), qui stulte se gessisse iam intellexit et proficere se posse aliquid in errore sperat, si se meminisse simulet, confirmat se rem memoria tenere, ancillam recte postulare a se, ut reddat spinter, negans (cf. Brixius ad h. l.).

Merc. 732. || Non tu scis, quae sit illa? || Immo iam scio:
De istac sum iudex captus.

Merc. 1014. || Non mihi credis? || Immo credo: sed tamen metuo miser.

Most. 673. || Non in loco emit perbono? || Immo in optumo [1]).

Senex quaerendo demonstrat eum, quo emerit filius aedes, locum perbonum sibi videri neque esse, cur argentum non reddat; cui senis sententiae servus assentitur ita, ut eventu gaudens contendat filium emisse aedes non perbono, sed optimo in loco, quare senex aedes statim inspicere se cupere exclamat.

Stich. 391. || Vidistin virum sororis Pamphilippum? || Non.
|| Non adest?
|| Immo venisse eum simitu aiebat ille: ego etc.

(ille, i. e. Epignomus Panegyridis maritus, quocum collocutum se esse Pinacium puer v. 372 narrat).

Trin. 1153. || Non ego sum salute dignus? || Immo salve, Callicles.

Lysiteles se senem non dignum, quem salutet, putare negat atque, cum statim eum salutat verbis *Immo salve,* responso suo maiorem dat vim quam si diceret: *Immo dignus,* ut fit Merc. 172.

---

1) Huic versui item ac versui sequenti signum personae (Th) praemittunt codd. BFZ (spat. CD), qua ratione si verba personis tribuuntur, ego dissentiens a Seyfferto (cf. Berl. philol. Wchr. V pg. 997) sensum effici bonum puto. Quaerit v. 670 ex servo senex de aedibus, quas emisse filium ille ei persuadere conatur, et respondet vv. 671. 672 interroganti servus. Tum v. 673 senex iterum quaerit de aedibus.

b) praeter exspectationem interrogantis alter ea, quae ex eo quaeruntur, reicit et corrigit, quomodo re vera res se habeat, indicans, exemplis his:

Rud. 741. || Non tu Cyrenensis es?
|| Immo Athenis natus altusque educatusque Atticis.

Vid. 53. || Non cenabis? || Immo ibo domum.

II. Nullo verbo demonstratur, quale responsum exspectetur.

Si alter, qui quidem non certam sententiam habet de alique re, ex altero quaerit, is, ex quo quaerit, aut probare aut reicere potest ea, quae interrogata sunt, suam sententiam de hac re pronuntians. Talibus interrogationibus si per *immo* particulam respondetur, alter ea, quae alter ex eo quaerit aut se sentire interrogando exprimit,

a) negat contrarium proferens, id quod saepius maiore vi facit, aut

b) confirmat ita, ut alterius verba corrigat vel amplificet. Exempla igitur, quacumque particula vel quocumque modo interrogatur, digeri possunt fere in duo genera.

1. Interrogatur per *ne* particulam.

a) Bacch. 1192[a]. Egon quom haec cum illo accubet inspectem? || Immo equidem pol tecum accumbam.

Nicobulo indignanti Bacchis respondet errare eum; nam cum ipso se accubituram esse.

Epid. 667. || Satine illic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos Habet? || Immo edepol tu quidem miserum me habes miseris modis.

i. e. non ille nos, sed tu quidem me eodem modo tractas, quo Epidicum nos tractare quereris.

Men. 1079. || Tun meo patre's prognatus? || Immo equidem, adulescens, meo.

Mil. 62. || Rogitabant: „hicine Achilles est?“ inquit mihi. „Immo eius frater“ inquam „est“.

Mil. 1401. || Iamne in hominem involo?
|| Immo etiam prius verberetur fustibus.

(i. e. non nunc est occasio involandi).

Pers. 135. || Tun illam vendas? || Immo alium adlegavero
Qui vendat: qui esse peregrinum praedicet.

Pseud. 607. || Tune es Ballio? || Immo vero ego eius sum
Subballio.

Pseud. 1079. || Hoc quidem actumst hau male.
Sed convenistin hominem? || Immo ambo simul.

Stich. 255. || Mene, ut ab sese petam?
|| Immo † ut a vobis mutuom nobis dares [1]).

Parasitus interrogat: „Mene Panegyris rogare vult, fortasse, ut ab sese petam?“ Quae ancilla ita reicit, ut cur re vera Panegyris illum ad se ire iusserit iterum exponat.

Stich. 621. || Exorabo aliquo modo: veni. || Hucine? || Immo
in carcerem.

Eun. 436. || Sed heus tu, purgon ego me de istac Thaidi,
Quod eam me amare suspicatast? || Nil minus.
Immo auge magis suspicionem.

Eun. 608. || Frugi es: ubi? domin? || Immo apud libertum
Discum.

Hec. 726. || Sed vin adesse me una, dum istam convenis?
|| Immo vero abi, aliquam puero nutricem para.

b) Bacch. 316. Sed nilne attulistis inde auri domum?
Immo etiam: verum quantum attulerit nescio.

Ne falso eos partem pecuniae Epheso Athenas secum duxisse putet, servus senem monet; verum se nescire, quantum Mnesilochus attulerit. Cf. pg. 51.

Capt. 289. || Quid tu ais? tenaxne pater est eius? || Immo
edepol pertinax.

---

1) V. 255 ita, ut supra Loewium (cf. Anal. Plaut. pg. 176) et Leonem secuti scripsimus, in A traditus est, cum in P scripta legamus *abs te*, qua scriptura praelata Seyffertus (Stud. Plaut. pg. 7) pro *dares* (sic libri cum A) *dates* scribit. Mihi Ambrosiani scriptura defendi posse videtur. Nam quod antea *volt* (v. 253), *rogare opinor* (scil. te volt), *ut petam* (v. 254) legitur, nunc vero imperfectum *dares*, recte monet Leo (in editione) Gelasimum in priorem structuram recidisse; nam dependet *ut dares* a verbis quae sunt *rogare iussit* (v. 248).

Hegioni mirato, cum curiose quaesiverit, Philocrates respondet: *Immo edepol pertinax,* verbum *tenax,* quo utatur Hegio, non satis aptum esse, quo quanta sit patris avaritia exprimatur putans, qua de causa utendum esse verbo *pertinax* exponit.

Ut Aul. 765, ita hoc exemplo alterius verba alter leviter corrigit pro verbo quodam simplici compositum adhibens. Cf. etiam Pseud. 31, Most. 907.

Mil. 462. ‖ Visanest ea esse? ‖ Immo edepol plane east.

Truc. 190. ‖ Valetne? ‖ Immo edepol melius iam fore spero, ubi te videbit.

Truc. 194. ‖ Ain tu eam me amare? ‖ Immo unice unum.

Truc. 373. ‖ Dan savium? ‖ Immo vel decem.

Eun. 812. ‖ Credin? ‖ Immo certe: novi ingenium mulierum:
Nolunt ubi velis, ubi nolis cupiunt ultro.

Eun. 896. ‖ Vin interea, dum venit,
Domi opperiamur potius quam hic ante ostium?
‖ Immo percupio.

2. Interrogatur per interrogationem geminatam.

Qui per *immo* vocem alteri inter duas res haesitanti respondet, is aut priorem vel posteriorem partem interrogationis reicit aut et priorem et posteriorem per se, ita ut dicat, si alterutrum fiat, rem bene se habere. Exempla sunt haec:

Mil. 449. ‖ Mittis an non mittis? ‖ Immo vi atque invitam ingratiis,
Nisi voluntate ibis, rapiam te domum.

Philocomasio interrogando tamquam imperanti (cf. Ussing. ad h. l. [v. 451]), ut se statim mittat, Sceledrus respondet errare eam, si ab ipso se missum iri putet; nam se non solum eam non missurum esse, sed etiam, sive velit sive nolit, rapturum domum.

Andr. 201. Quid, hoc intellexistin? an nondum etiam ne hoc quidem? ‖ Immo callide:
Ita aperte ipsam rem modo locutu's, nil circumitione usus es.

Pseud. 710. ‖ Dic utrum Spemne an Salutem te salutem, Pseudole?
‖ Immo utrumque.

3. Interrogatur per *an* particulam.

Quae alter *an* particulam adhibens ex altero quaerit, ea hic aut alius reicit vel corrigit.

Cist. 565. || An, amabo, meretrix illast, quae illam sustulit?
|| Immo meretrix fuit: sed ut sit, de ea re eloquar.
Pseud. 873. || Eho, an etiam es veneficus?
|| Immo edepol vero hominum servator.
Trin. 942. || Eho, an etiam in caelum escendisti? || Immo horiola advecti sumus
Usque aqua advorsa per amnem.
Heaut. 335. An ea quoque dicetur huius, si una haec dedecorist parum?
|| Immo ad tuam matrem abducetur.
Heaut. 1058. Faciet. || Nil etiam audio ipsum. || Perii. || An dubitas, Clitipho?
|| Immo utrum volt. || Faciet omnia.
Hec. 437. || Quid cessas? || Quid vis dicam? an conveniam modo?
|| Immo quod constitui me hodie conventurum eum
Non posse, ne me frustra illi expectet. vola.

4. Interrogatur per pronomen *quis, quid.*

Per *immo* vocem respondens alter ea, quae alter quaerit aut sentire se quaerendo indicat, negat vel corrigit. Inter haec exempla duo sunt Plautina, quibus alter interrogat alterum per formulam *quid si* et interrogatus ea, quae per enuntiatum condiciale alter dicit, repellens contrarium eis verbis ut faciat per imperativum monet. Videamus exempla.

Amph. 686. || Obsecro ecastor, quid tu me deridiculi gratia
Sic salutas atque appellas, quasi dudum non videris,
Quasi qui nunc primum recipias te domum huc ex hostibus?
|| Immo equidem te nisi nunc hodie nusquam vidi gentium.

Eam, quae exprimitur interrogatione, sententiam discrepare a sua ipsius sententia Amphitruo dicit: uxorem errare, nam aliter rem se habere.

Pers. 497. Tabellas tene has, pellege. || Hae quid ad me?
|| Immo ad te attinent et tua refert.

Leno tabellas ad se attinere interrogando quasi negat; cui servus ab *immo* voce incipiens contradicit.

Most. 583[a]. Quid si hic manebo potius ad meridiem?
|| Immo abi domum.

Pers. 613. || Hau possum, quin huic operam dem hospiti
Quoi erus iussit. quid si hic non volt me una adesse?
|| Immo i modo.

Sagaristio, qui virginem lenoni vendendam suscepit, autumat se velle eum una adesse, dum leno e virgine nonnulla percontetur, et monet, ut modo amicum (i. e. lenonem) adiuvet.

Andr. 854. || Quid illum censes? cum illa litigat.
|| Immo vero indignum, Chremes, iam facinus faxo ex me audies.

Heaut. 936. Quid hoc quod rogo, ut illa nubat nostro? nisi quid est,
Quod magis vis. || Immo et gener et adfines placent.

Phorm. 640. || Quis te istaec iussit loqui?
|| Immo non potuit melius pervenirier
Eo quo nos volumus.

5. Interrogatur per pronomina *ecquid* et *ecquidnam.*

Interroganti alter ea, quae quaerit ex eo, confirmat et amplificat. Exempli gratia:

Cas. 456. || Ecquid amas nunc me? || Immo edepol me quam te minus.

Bacch. 207 sqq. Ecquidnam meminit Mnesilochi? || Rogas?
Immo unice unum plurimi pendit. || papae.
|| Immo ut eam credis? misera amans desiderat.
|| Scitum istuc. || Immo, Chrysale, em, non tantulum
Umquam intermittit tempus quin eum nominet.
|| Tanto hercle melior [Bacchis]. || Immo —.

De hoc loco cf. pg. 5.

6. Per *cur* et *quin* particulas interrogativas verba ab altero reiciuntur exemplis his:

Rud. 441. ‖ Cur tu operam gravare mihi, quam civis civi commodat?
‖ Immo etiam tibi, mea voluptas, quae voles faciam omnia.

Rud. 768. ‖ Quin inhumanum exuras tibi?
‖ Immo hasce ambas hic in ara ut vivas comburam, id volo.

7. Exemplis, quibus nulla voce interrogativa adhibita interrogatur, a) fere omnibus alter ea, quae alter ex eo quaerit, aut reicit contrarium proferens aut corrigit, b) duobus tantum alter alterius verba confirmat. Sequuntur exempla:

a) Amph. 726. ‖ Tu me heri hic vidisti? ‖ Ego, inquam, si vis deciens dicere.
‖ In somnis † fortasse? ‖ Immo vigilans vigilantem.

Bacch. 690. ‖ Ego patrem exoravi. ‖ Nempe ergo hoc ut faceret quod loquor?
‖ Immo tibi ne noceat neu quid ob eam rem suscenseat.

Bacch. 718. ‖ Pistoclero nulla amicast? ‖ Immo adest.

Capt. 287. ‖ Videlicet propter divitias inditum id nomen quasist?
‖ Immo edepol propter avaritiam ipsius atque audaciam.

Cas. 994.[1]) ‖ Non hercle vero taceo: nam tu maxumo
Me opsecravisti opere, Casinam ut poscerem uxorem mihi,
Tui amoris causa. ‖ Ego istuc feci? ‖ Immo Hector Ilius
Te quidem oppresset.

---

1) Varie hunc locum temptaverunt viri docti. Ussingii (cf. ad h. l. [v. 915]) explicatio non solum a versibus antecedentibus, ubi Olympio senem accusat eius delicti, quod verbis Cleostratae tamquam infectum minueretur, sed etiam ab interrogatione (v. 996) Lysidami abhorrere mihi videtur. Buecheleri sententiam (cf. Goetz.-Schoell. edit. min. praef. Cas.

Seni Olympio, qui ipse dolo deceptus est (cf. vv. 875—935), respondet: tu non perfecisti ea quae voluisti; nam Hector Ilius, i. e. armiger filii, muliebri veste indutus, Casinus (cf. v. 988) te quidem oppressisset (in quibus est lusus obscenus) neque tu Casinam.

Curc. 324. In carnario fortasse dicis? ‖ Immo in lancibus.
Curc. 345. „Dedisti tu argentum?" inquam. „Immo apud trapezitam situmst."
Merc. 172. ‖ Tandem indignus videor? ‖ Immo dignus.
Most. 553. ‖ Ei misero mihi:
Etiam fatetur de hospite? ‖ Immo pernegat.
Stich. 704. ‖ Nimium lepide in mentem venit: potius in subsellio
Cynice hic accipimur quam in lectis? ‖ Immo enim hic magis est dulcius.
Trin. 991. ‖ At etiam maledicis? ‖ Immo, salvos quandoquidem advenis, —
Di te perdant si te flocci facio an periisses prius.

Seni indignato sycophanta ab *immo* voce incipiens, ut eum irrideret, respondere coeperat quasi gratulaturus aut invitaturus ad cenam (cf. Ussing. ad h. l.), cum verba sua ipse interrumpit atque maledicere pergit mortem eius aeque gratam sibi futuram esse affirmans. Hoc igitur loco, quamvis ironice, reiecturus videtur alter ea, quae alter interrogat (cf. Brixius ad h. l.).

Andr. 30. Nempe ut curentur recte haec? ‖ Immo aliud.
Heaut. 706. Et scilicet iam me hoc voles patrem exorare ut celet
Senem vostrum? ‖ Immo ut recta via rem narret ordine omnem.

---

994. 995) secutus Schoellius personas mutavit atque Palmero et Ritschelio auctoribus *oppressit* pro *oppresset* in contextum recepit; cui sententiae, ni fallor, obstat, quod verba *tui amoris causa* certe Olympionis sunt, quibus accusationis (v. 991) argumentum affert, et quod Lysidamus, etsi verbis *Tui amoris causa ego istuc feci* concedit se id, quod opprobrio ei dedit Olympio, fecisse, tamen v. 996 rogitat. Ceterum *oppressit* aptum sensum praebere Leo recte negat. Mihi ea quam apud Leonem (cf. adn. ad h. l.) legimus versuum forma aliis praeferenda esse videtur; neque tamen opus esse verbo *haud* ante *Hector* putem Buecheleri sententiam secutus.

Heaut. 911. ‖ Quid? istuc times quod ille operam amico dat suo?
‖ Immo quod amicae.

Heaut. 983. ‖ Inrides in re tanta neque me consilio quicquam adiuvas?
‖ Immo et ibi nunc sum et usque id egi dudum, dum loquitur pater.

Heaut. 1010. ‖ Ego nescio?
‖ Immo scis potius, quam quidem redeat integra eadem oratio.

Phorm. 146. ‖ Non multum habet
Quod det fortasse? ‖ Immo nil nisi spem meram.

Phorm. 528. ‖ Sic hunc decipis? ‖ Immo enim vero, Antipho, hic me decipit.

Hec. 809. ‖ Dic me orare ut veniat. ‖ Ad te? ‖ Immo ad Philumenam.

b) Aul. 765. ‖ Negas?
‖ Pernego immo: nam neque ego aurum neque istaec aula quae siet
Scio nec novi.

De collocatione *immo* vocis cf. pg. 7.

Andr. 708. ‖ Verum vis dicam? ‖ Immo etiam:
Narrationis incipit mi initium.

8. Interrogatio per *immo* particulam vertitur in interrogantem.

Duo sunt exempla Plautina, quibus alter interroganti alteri non respondet, sed responsi certi loco interrogationi alterius opponit interrogationem, qua sibi potius ea, quae alter ex se quaesiverit, quaerenda esse ex altero dicit. Loci sunt hi:

Amph. 350. Quid apud hasce aedis negoti est tibi? ‖ Immo quid tibist?

Rud. 1161. ‖ Di immortales, ubi loci sunt spes meae? ‖ Immo edepol meae?

Haec exempla similia sunt eis, quibus interrogantis sententia corrigitur.

Videmus omnibus exemplis, quae modo tractavimus, alterum alteri interroganti per enuntiatum ab *immo* incipiens ita respondere, ut per *immo* vocem

a) eis quae alter ex eo quaesivit reiectis ei quam alter quaerendo protulit sententiae contraria efferat idque saepius maiore vi,

b) verba alterius confirmet; neque vero agitur de simplici confirmatione, sed semper responso continetur correctio quaedam elocutionis vel amplificatio, qua ratione semper aliquid reicitur, ita ut dicere liceat per *immo* particulam aliquid confirmari sub specie negationis.

III.

Per *immo* particulam aliquid fieri se velle dicenti respondetur.

Ea, quae alter fieri se velle dicit, alter per *immo* particulam aut repellit modo negans ea se facturum esse aliudque proponens modo suam de re facienda sententiam pronuntians aut rem ab altero postulatam fieri se velle confirmat, idque — ut utar eis, quae ex antecedentibus apparuerunt — sub specie negationis, i. e. ita, ut aliquid mutans sententiae alterius vel voluntati contradicere videatur. Videamus ipsa exempla, quae ita digerenda esse puto:

I. Imperativo respondetur per *immo* particulam coniunctam cum imperativo.

a) Alter imperata denegat ita, ut

α) in alterum vertat, exempli gratia:

Cas. 362. ‖ Tace, Chaline. ‖ Comprime istum. ‖ Immo istunc qui didicit dare.

Men. 546. ‖ Da sodes aps te: ego post reddidero tibi.
‖ Immo cedo aps te: ego post tibi reddam duplex.

Truc. 951. ‖ Age prior prompta aliquid. ‖ Immo tu prior perde et peri.

Strabax militi quasi eadem (cf. C. F. W. Müller Plaut. Pros. pg. 133) imperat eumque exsecratur.

Phorm. 936. ‖ Quin tu mi argentum cedo. | ‖ Immo vero uxorem tu cedo.

β) aliud imperet, exempli gratia:

Cas. 494. ‖ Emito sepiolas, lopadas, loligunculas,
‖ Hordeias, — ‖ Immo triticeias, si sapis.

Quae senex vilicum emere iussit, servus per *immo* vocem corrigit ita, ut cavillans alia proponat; cf. Ussingius ad h. l. (v. 473).

Truc. 753. ‖ Sine experiri. ‖ Immo opperire: vis est experirier.

Andr. 523. tu tamen idem has nuptias
Perge facere ita ut facis, et id spero adiuturos deos.
‖ Immo abi intro: ibi me opperire et quod parato opus est para.

b) Alter ea, quae ut fiant alter monet, confirmat sub specie negationis exemplo hoc:

Adelph. 483. Hunc abduce, vinci, quaere rem.
‖ Immo hercle extorque, nisi ita factumst, Demea.

Geta, cum rem probet, Hegionis adhortantis verba amplificat.

II. Imperativo respondetur per *immo* particulam coniunctam cum futuro, coniunctivo, verbo *volo*, aliis.

a) Alter negat ea quae alter imperet sibi placere: aut aliud atque ille velit se facturum esse (α) vel faciendum (β) pronuntiat aut omnino suam sententiam ab eis quae ab altero imperata sint abhorrere exponit (γ).

α) Asin. 941. ‖ I in crucem.
‖ Immo intro [1]) potius — sequere hac me, mi anime.
‖ Ego vero sequor.

(Immo intro potius, scil. ibo.)

---

1) Versus 940. 941, quos libri exhibent inverso ordine, recte traiecit Fleckeisenus, cuius rationem Ussingio (cf. ad h. l. [vv. 930. 931]) excepto omnes fere probant. V. 941 difficultas quaedam est in verbo tradito *intus*. Goetzius et Schoellius (cf. edit. min. praefat. Asin. pg. X) verba tradita novo interpretandi genere explicare conantur; neque vero ipsi, quae proponunt, pro certo haberi volunt. Mutandum potius mihi videtur aliquid. Atque viri docti aut versum deleri volunt (cf. Ussingius ad h. l.

Cas. 840. ‖ Tene hanc lampadem. ‖ Immo ego hanc tenebo.

Lampadem ut teneret, monitus Lysidamus senex aliud, i. e. Casinam, tenere se velle dicit.

Men. 954. ‖ Iam hic erunt. adserva tu istunc, medice. ‖ Immo ibo domum,
Ut parentur quibus paratis opus est.

Pseud. 31. Lege vel tabellas redde. ‖ Immo enim pellegam.

Calidorus, vel ut legat tabellas vel ut reddat, Pseudolo servo imperat. Cui ille per *immo* respondens posteriore parte imperati reiecta ea, quae priore loco adulescens imperaverit, se facturum confirmat. Sed in primis etiam hoc loco per *immo* particulam, quae praesertim posteriori parti imperati respondeat, alter alterius verbis se pariturum negat, alterum (universe: aliud) se facturum esse autumans.

Pseud. 33. ‖ Non adest. ‖ At tu cita.
‖ Immo ego tacebo: tu istinc ex cera cita.

[v. 931]) aut *intro* vel aliud scripserunt (cf. Goetzius et Loewius ad h. l. in edit. mai., ubi etiam aliorum commenta allata invenies: adde Leonem ad h. l., Seyffertum Stud. Plaut. pg. 4, Goetzium et Schoellium praefat. Asin. pg. X; denique Brixium ad Capt. 169. 173, et Capt. 192, Aul. 80—82, quibus *intro* et *intus* coniuncta inveniuntur). Philaenium aut quo ipsa potius itura sit aut illum potius in crucem iturum esse seni exsecranti respondere posse recte monet Seyffertus (Stud. Plaut. pg. 4). Quam sententiam cum facillimo negotio adipiscatur Leo, qui Fleckeisenum (*potius intro* scribentem) secutus in contextum recipit *Immo intro potius*, eandem fortasse etiam ita restituere possumus, ut scribamus *Immo i tu potius*, scil. in crucem, quae scriptura ad scripturam codicum proxime accedit. Ita omnia bene se habere mihi videntur. Meretrici, cum exsecrationem in senem retorqueat, maiore vi ornandum est *tu*. Id efficere potest aut per collocationem (ut Rud. 1061. 1369; Truc. 957), dicens *Immo tu i*, aut per verbum *potius*, quod, cum ad *immo* accedat, postponitur ei verbo, quod augendum est, exempli gratia Capt. 341, Most. 669, Heaut. 928. 1010 et Heaut. 799/800, ubi non solum ad unum verbum, sed ad totum enuntiatum pertinet. Itaque hoc loco dicit meretrix: *immo i tu potius*. Ceterum *tu* imperativo *i* postpositum etiam alio loco invenimus, scil. Curc. 487. Certe *immo* quamcumque coniecturam sequimur bonum praebet sensum.

Rud. 787. ‖ Iubedum recedere istos ambo illuc modo.
‖ Immo ad te accedent (= accedere istos iubebo).

Daemones senex eis quae Labrax leno ab eo petivit reiectis contrarium eius voluntati futurum esse confirmat.

β) Capt. 608. Verum si quid metuis a me, iube me vinciri: volo,
Dum istic itidem vinciatur. ‖ Immo enim vero, Hegio,
Istic qui volt vinciatur.

Aristophontes vult se vinciri, sed condicionem quandam addit, quam per *immo* Tyndarus repellit nihilominus monens, ut ea, quae Aristophontes se velle dixerit, fiant.

Mil. 1249. ‖ Eo intro aut tu illunc evoca foras, mea Milphidippa.
‖ Immo opperiamur, dum exeat aliquis.

Truc. 872. Nunc puerum redde. ‖ Immo amabo ut hos dies aliquos sinas
Eum esse apud me.

Andr. 823. Orandi iam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, paene inlusi vitam filiae.
‖ Immo enim nunc quom maxume abs te postulo atque oro, Chremes,
Ut beneficium verbis initum dudum nunc re comprobes.

Heaut. 928. Fac te patrem esse sentiat; fac, ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere et poscere,
Ne quam aliam quaerat copiam ac te deserat.
‖ Immo abeat potius malo quovis gentium,
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.

Most. 592. ‖ Sortem accipe. ‖ Immo faenus, id primum volo.

Most. 1091. Mihi hominem cedo.
Vel hominem iube aedis mancipio poscere. ‖ Immo hoc primum volo,
Quaestioni accipere servos.

Pseud. 920. ‖ Ambula ergo cito. ‖ Immo otiose volo.

Alter contrarium eis quae alter postulet sibi placere respondet.

γ) Bacch. 276. ‖ Quin tu audi: — ‖ Immo ingenium avidi haud pernoram hospitis.

Quo sensu *immo* hoc loco sit, non facile est dictu, unde viri docti hanc vocem aut omnino deleverunt aut aliud verbum substituerunt [1]). Quibus contradicit Skutschius (Forsch. z. lat. Gramm. u. Met. I. Bd. Plaut. u. Rom. pg. 44). Is enim *audi* non imperativum, sed genetivum *avidi* intellegi a Nicobulo dicit et interpungi vult: ‖ *Quin tu audi* — ‖ *Immo avidi* etc., ita ut Nicobulus putet servum additurum esse *hospitis* atque perrecturum loqui. Monet assonare *audi* et *avidi* verbis *Autolyco* et *aurum* (v. 275), qua ex re sola iam concludas pro *avidi* verbo *audi* pronuntiandum esse, quod fiat in versibus Porcii Licini in vita Terentiana (cf. Ritschelius opusc. III pg. 205/206) citatis. Suam sententiam si sequatur, quemquam offensurum in *immo* negat, idque recte me quidem iudice. Poeta Nicobulum facit ludentem verbis ita, ut per *immo* iterum ea, quae servus de hospite narrare coepit, interrumpens *audi* imperativo propter similem sonum *avidi* genetivum opponat. Per *immo* igitur respondet Nicobulus se nolle servum uti imperativo *audi,* quod hoc verbo admoneatur de adiectivo *avidi,* de avidi hospitis ingenio, quod non pernoverit, quo deceptus sit.

Capt. 209. ‖ Apage, haud nos id deceat
Fugitivos imitari. ‖ Immo edepol, si erit occasio, haud dehortor.

Cum Tyndarus imperans per *apage* lorarii consilium repellat, hic suam sententiam ab illius discrepare significat.

Men. 935. ‖ Nunc homo insanire occeptat: de illis verbis cave tibi.
‖ Immo Nestor nunc quidemst de verbis, praeut dudum fuit:
Nam dudum uxorem suam esse aiebat rabiosam canem.

Cf. Brixius ad h. l.

---

1) Ussingius *immo* delevit, quod esset falsum. Bothius *enim* substituit, Ritschelius *hem.* Bergkius scribi vult *audi me* (*me* pro *Immo*) opusc. I pg. 643.

Truc. 586. Vasa nolo auferant, desiccari iube.
|| Im[mo] pude(n)s mecastor, Cuame's[t].

Pro *immo pudes* recte restitutum est *impudens*, idque omnium consensu (cf. de hoc toto loco Seyffertus Philol. XXVII [1868] pg. 463 sq.).

b) Alter se assentiri alteri imperanti confirmat sub specie negationis; exempla sunto:

Mil. 953. || Quin tu tuam rem cura potius quam Seleuci, quae tibi
Condicio nova et luculenta fertur per me interpretem.
|| Immo omnis res posteriores pono atque operam do tibi.

Ea quae suadeat Palaestrio sibi placere miles dicit, idque ita, ut non solum Seleuci rem, sed etiam omnes res posteriores se ponere autumet. Sic in verbis eius negatio simul eorum quae antecedunt inest.

Andr. 550. Si in remst utrique ut fiant, accersi iube;
Sed si ex ea re plus malist quam commodi
Utrique, id ego te oro in commune ut consulas,
Quasi illa tua sit Pamphilique ego sim pater.
|| Immo ita volo itaque postulo ut fiat, Chremes,
Neque postulem abs te, ni ipsa res moneat.

Chremes Simonem adhortatur, ut filiam arcessi ad sponsum iubeat, si Pamphilo et Philumenae saluti fore putet; sin autem incommodo eis fore censeat, in commune consulat, i. e. ne iubeat filiam arcessi. Utcumque res se habet, Chremes arbitratur nuptias plus mali quam commodi eis illaturas esse. Cui Simo per *immo* particulam respondens rectam sententiam hac de re Chremetem habere negat atque, quod ille eum hortatur verbis *accersi iube*, confirmat se ita velle itaque postulare ut fiat.

III. Per *immo* particulam respondetur petenti per verba *quaeso, obsecro.*

a) Alter ea quae alter ab eo petit repellit aliud potius se facturum esse autumans.

Capt. 341. Verum, te quaeso, aestumatum hunc mihi des quem mittam ad patrem,
Ut is homo redimatur illi. || Immo alium potius misero.

Non eum, qui ut mittatur ad patrem Tyndarus servus ab Hegione petit, sed alium potius missurum se esse dicit.

b) Alter alteri oranti obsequitur aut obsecuturum se esse dicit, sed ea, quae alter petit, aliquo modo mutat vel amplificat. Exempla sunt haec:

Epid. 204. || Mane, sine respirem, quaeso. || Immo adquiesce.

Periphanes quasi reicit ea, quae Epidicus ab eo petivit; nam sensus verborum *immo adquiesce* est hic: non solum, ut respires, sed, quod amplius est, ut adquiescas tibi concedo. Res igitur probatur.

Eun. 562. || Narra istuc, quaeso, quid sit. || Immo ego te obsecro hercle ut audias.

Ut narret Antipho a Chaerea petit. Hic, quamquam ei obsecuturus est, negat eum se orare opus esse, sed se eum obsecrare dicit, ut audiat.

Amph. 389. || Obsecro ut per pacem liceat te alloqui, ut ne vapulem.
|| Immo indutiae parumper fiant, si quid vis loqui.

Rem per se probans non pacem, sed, cum pacem longiorem cum illo facere paratus non sit, tantum indutias parumper fieri se velle alter ab *immo* particula initium capiens exponit.

Men. 1009. || Opsecro te, quisquis es, operam mihi ut des
Neu sinas in me insignite fieri tantam iniuriam.
|| Immo et operam dabo et defendam et subvenibo sedulo.

IV. Per *immo* particulam respondetur coniunctivo (hortativo et optativo) et formulae *volo, ut.*

1) Alter, cum alter hortetur, ut aliquid secum faciat, aut aliquid expetat, per *immo* particulam aliud proponit, qua ratione verba illius reicit.

Merc. 1015. ‖ Eamus intro. ‖ Immo dicamus senibus legem censeo
Prius quam abeamus, qua se lege teneant contentique sint.

Stich. 147. Nunc, soror, abeamus intro. ‖ Immo intervisam domum.

Rud. 961. Quid inde aequomst dari mihi? dimidium
Volo ut dicas. ‖ Immo hercle etiam plus.

2. Deos testanti aut precanti per *immo* vocem alter contradicit, exempli gratia:

Cas. 248. ‖ Di me et te infelicent,
Si ego in os meum hodie vini guttam indidi.
‖ Immo age ut lubet bibe, es, disperde rem.

Lysidamus se ne guttam quidem vini hoc die potavisse deos testatur. Cui respondens per *immo* Cleostrata negat se velle eum testari deos, sed faciat, quae velit. Senis verba quasi abrumpit.

Cist. 515. ‖ At ita me di deaeque etc. etc.
Itaque me Ops opulenta, illius avia — ‖ Immo mater quidem.

(ita me di deaeque . . . . . faxint, ne etc. [v. 523]).

Poen. 669. ‖ Di deaeque vobis multa bona dent, quom mihi
Et bene praecipitis et bonam praedam datis.
‖ Immo, ut ipse nobis dixit, quo accures magis,
Trecentos nummos Philippos portat praesidi.

Per *immo* advocati pergunt narrare de hospite divite ita, ut lenonis avaritiam augeant.

Pseud. 934. ‖ Iupiter te mihi servet. ‖ Immo mihi.

Cas. 403. ‖ Quod bonum atque fortunatum mihi sit[1]. ‖ Ita vero, et mihi.
‖ Non. ‖ Immo hercle. ‖ Immo mihi hercle.

His exemplis addo duo, quibus alter alteri exclamanti vel exsecranti per *immo* respondet:

Cas. 634. ‖ Vae tibi. ‖ Immo vae tibi sit.

---

1) Eadem formula invenitur v. 382.

Lysidamus ea, quae Pardalisca exclamat, in eam retorquet.
Merc. 708. || Vae miserae mihi. || Immo mihi.

Quae Dorippa mulier exclamet, Lysimachus non ad illam, sed potius ad se ipsum pertinere dicit.

IV.

Per *immo* particulam alteri loquenti respondetur.

Alter colloquentium narrat vel dicit aliquid aut iudicat de aliqua re aut omnino sententiam suam dicit. Cui alter per *immo* contradicit: aut eis, quae alter contendit, contraria opponit vel alterius verba reicit, abrumpit, corrigit, quod sententia ei non placet, aut ita dicta alterius corrigit, ut corrigendo sententiam illius confirmet vel augeat. Exempla, quae huic classi sunt attribuenda, plurima sunt neque facile est ea discernere, nisi quod alter per *immo* modo quid ipse facturus vel quid futurum sit autumat (α) modo omnino quomodo ex sua sententia res se habeat pronuntiat (β) modo alteri aliquid imperat (γ) modo alterum interrogat (δ). Sed quae genera duo iam de usu *immo* particulae quaerere incipientes novimus, ea etiam hic apparent; nam

a) alter alterius sententiam reicit exemplis his:

α) Bacch. 146. || Tu amicam habebis? || Quom videbis, tum scies.
|| Immo neque habebis neque sinam.

Responsum sibi placere paedagogus negat suam sententiam eis, quae Pistoclerus dixit, contrariam opponens.

Bacch. 211. || Tanto hercle melior [Bacchis]. || Immo — || Immo hercle abiero | Potius.

Chrysalus abrumpit locutionem et finem facere vult colloquii ironice *immo* voce utens, quam saepe iteravit modo Pistoclerus (cf. pg. 5 sq., 19); negat se diutius eum audire velle, sed potius abiturum esse.

Bacch. 571. Tollam ego ted in collum atque intro hinc auferam.
|| Immo ibo: mane.

Curc. 453. Credo hercle te esse ab illo: nam ita nugas blatis.
|| Immo etiam porro, si vis, dicam.

Curculio negat se nugas blatire pronuntians etiam porro dicere paratum se esse (cf. vv. 442—448).

Rud. 1061. || Eloquar. | || Immo ego eloquar.

Heaut. 402. || Syre, vix suffero:
Hocine me miserum non licere meo modo ingenium frui!
|| Immo ut patrem tuom vidi esse habitum, diu etiam duras dabit.

Ita eum dicere licere negat servus; patrem nondum ei obsecuturum se putare.

Adelph. 604. Egomet narrabo, quae mihi dixti. || Immo ego ibo.

β) Amph. 368. || Ne tu istic hodie malo tuo compositis mendaciis
Advenisti, audaciai columen, consutis dolis.
|| Immo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis.

Amph. 538. Ecastor condignum donum, qualest qui donum dedit.
|| Immo sic condignum donum, qualest quoi dono datumst.

Amph. 735. Neque meum pedem huc intuli etiam in aedis, ut cum exercitu
Hinc profectus sum ad Teloboas hostis eosque ut vicimus.
|| Immo mecum cenavisti et mecum cubuisti.

Amph. 1084. || Haec sola sanam mentem gestat meorum familiarium.
|| Immo omnes sani sunt profecto.

Asin. 616. || O Libane, ut miser est homo qui amat. || Immo hercle vero
Qui pendet multost miserior.

Asin. 922. || Nullus sum. || Immo es, ne nega, omnium hominum pol nequissumus.

Aul. 545. Neque pol, Megadore, mihi nec quoiquam pauperi
Opinione melius res structast domi.
|| Immo est et – ◡ – di faciant ut siet | Plus plusque.

Aul. 731. ‖ Ego sum miser. ‖ Immo ego sum, et misere perditus.
Capt. 567. Quem vides, eum ignoras: illum nominas, quem non vides.
‖ Immo iste eum sese ait qui non est esse et qui verost negat.
Capt. 857. ‖ Tum tu mi igitur erus es. ‖ Immo benevolens.
Capt. 933. ‖ Fecisti ut tibi,
Philocrates, numquam referre gratiam possim satis,
Proinde ut tu promeritu's de me et filio. ‖ Immo potes etc.
Curc. 59. ‖ Credam, pudor si quoiquam lenoni siet.
‖ Immo ut illam censes? ut quaeque illi occasiost
Subripere se ad me: ubi savium oppegit, fugit.
Curc. 167. ‖ Sum deus. ‖ Immo homo haud magni preti.
Curc. 335. ‖ Perdis me tuis dictis. ‖ Immo servo et servatum volo.
Epid. 280. ‖ Ubi erit empta, ut aliquo ex urbe amoveas, nisi quid tua
Secus sententiast. ‖ † Immo docte.

Periphanes per *immo* vocem, per quam verbis *nisi quid tua secus sententiast* respondet, negat aliam de hac re sententiam se habere, sed eum docte locutum esse.

Epid. 421. Ego illic me autem sic adsimulabam: quasi
Stolidum, combardum [1]) me faciebam. ‖ Immo ita decet.

---

1) Vv. 420. 421 libri exhibent: *Ego illic me autem sic adsimulabam: quasi* | *Stolidum, cum bardum (cumbardum) me faciebam.* Quae scriptura viris doctis mutanda videtur. *Stolidum atque bardum* scripsit Guyetus; *Stolidus sim. bardum* coniecit Geppertus, qui nititur Amph. v. 115, quod iure eum fecisse negat Carolus Rothe quaest. grammat. pg. 37; nam verba *quasi stolidus sim* suspensa sunt a verbo *adsimulabam* neque dicuntur ex illius qui loquitur mente. Ussingius monet de vitiosa temporum consecutione et conferendum proponit Amph. 195 (192), quem ad versum similia exempla affert. *Stolidum, cum surdum* scribi vult Ladewigius, *subbardum* Gertzius. Leo scribit *combardum*, quod simillimum est scripturae codicum atque optimum mihi videtur, quamquam nova vox est atque dubium, possitne sic componi verbum *bardus* (= qui tarde alius verba mente sequitur).

Secundum codicum memoriam Periphanes profert verba haec: *Immo sta* (vel *stat*) *decet*, unde editores *Immo ita decet.* Sed sunt, qui his in verbis offendant. Ussingius adnotat sine dubio fuisse *Immo haud decet*, Leo scribit *Em istuc decet.* Contra hos Goetzius contendit *immo* hoc loco esse sanissimum, et recte mea quidem sententia. Apoecides, cum Periphanes quaesiverit, quomodo Epidicus effecisset, ut fidicina nesciret sese emptam esse a Periphane et ita ridibunda atque hilara adveniret, exponit servum illi dixisse Periphanem pro filio, quia Thebis salvus redisset, rem divinam facturum esse domi. Et Periphanes laudat servum, quod rectam viam institerit. Nunc Apoecides exponit Epidicum illi ipsum dixisse conductam eam esse, quae administraret ad rem divinam Periphani. Se autem quasi stolidum se fecisse, quasi nihil intellegeret aut audiret. Quodsi Periphanes per verba *immo ita decet* respondet, hoc dicit: non est, cur te pudeat; nam recte egisti (cf. vv. 425—430), nullo alio modo res perficienda erat, ita etiam decet. Stoliditas per se non laudatur, illo tempore tamen et casu laudabilis erat, qui eam simulabat.

Epid. 485. || Stulte datum
Reor, peccatum largiter. || Immo haec east.

Quo loco *immo* corruptum videtur Muellero [1]) (cf. Plaut. Pros. pg. 633), qui inter alia *certe* pro *immo* proponit. Contra illum *immo* censeo corruptum non esse; neque enim intellego, cur Periphanem, cum iam miles ei persuasisse videatur se verum dicere, v. 485 iterum de militis verbis dubitare posse

1) Scripturam codicum omnino esse incertam Muellerus statuit, exstare graves turbas et lacunas. V. 485 codices exhibent *reor et peccatum*, Ambrosianus omittit *et*, praeterea pro *haec east* habet *haec est.* Ceterum sententias inter se bene cohaerere vir doctus negat; nam cum usque ad v. 485 omnia bene procedant atque Periphanes iam nihil dubitare videatur de eis, quae miles contenderit, per verba *immo haec east* senem sententiam suam, quam falsam iam intellexerit, se retinere exprimere. Qua de causa aliquid esse mutandum arbitratus *certe* proponit pro *immo* aut ordinem verborum traici vult, quod, si v. 485 immutatum retineamus, syllaba *ter* (id quod nullo alio loco fiat) vocis *largiter* producatur propter mutatam personam.

negemus, praesertim cum videamus ei novum argumentum in mentem venisse, quo valde confidit. Neque enim ab Epidico, quem modo ob rem bene gestam senes laudaverant, se falli suspicatur. Atque etiam *certe* nihil aliud indicaret nisi perstare in sententia senem alterius verba reicientem.

Men. 136. || Perii, in insidias deveni. || Immo in praesidium: ne time.

Men. 656. || Per Iovem deosque omnis adiuro, uxor, — satin hoc est tibi? —
Non dedisse — || Immo hercle vero, nos non falsum dicere.

Cf. Brixius ad h. l.

Men. 821. || Tun negas? || Nego hercle vero. || Immo hercle ludis, si negas [1]).

Men. 1068. Mihist Menaechmo nomen. || Immo edepol mihi.

Merc. 164. Nullus sum. || Immo es —.

Merc. 737. Nunc tu in consilium istam advocavisti tibi.
|| Immo sic sequestro mihi datast.

Merc. 759. Non ego sum, qui te dudum conduxi. || Quid est?
Immo hercle tu istic ipsus.

Mil. 68. || Nimiast miseria nimis pulcrum esse hominem. || Immo itast:
Molestae sunt: orant, etc.

Artotrogus exponit non pulchritudinem nimiam per se esse miseriam, sed molestas et illi et sibi esse eas, quae hominem nimia pulchritudine videre semper cupiant.

Mil. 422. Quid nunc taces? tecum loquor. || Immo edepol tute tecum:
Nam haec nil respondet.

Mil. 443. || Mala's.
|| Immo ecastor stulta multum, quae vobiscum fabulem.

Mil. 1014. || Tum pol ego id quod celo hau celo. || Immo et celas et non celas.

Cf. Brixius ad h. l.

---

1) Codices exhibent: *Immo hec eludere negas.* Scribo cum Kaysero *ludis, si;* nam certe agitur de ludendo vel iocando (cf. vv. 824. 825). Cf. Brixius ad h. l.

Most. 335. Nempe domum eo comissatum. || Immo istuc quidem. (istuc, i. e. Philolachetis domum; cf. Ussingius ad h. l. [v. 327].)

Most. 731. Vino et victu, piscatu probo electili
Vitam * colitis. || Immo vita antehac erat.

Per *immo* vitam, quam hoc tempore colant, esse vitam, scil. vitalem, negat Tranio autumans vitam antehac fuisse, cum nunc omnia simul excidissent.

Cf. Lorenzius ad h. l.

Most. 766. Quia isti umbram audivit esse aestate perbonam
Sub sudo columine usque perpetuom diem.
|| Immo edepol vero quom usque quaque umbrast, tamen
Sol semper hic est usque a mani ad vesperum.

Simo contrarium eis, quae Tranio erum suum audivisse narret, verum esse confirmat. Cf. Lorenzius ad h. l.

Most. 807. || Nisi tibist incommodum. || Immo commodum.
Most. 979. || Ei, perdis. || Immo suom patrem illic perdidit.

Phaniscus nondum scit se cum Philolachetis patre, i. e. Theopropide, colloqui; itaque cum Theopropides exclamaverit: *Ei, perdis* (scil. me eis, quae de Philolachete narras), per *immo* vocem respondet: non se perdere Theopropidem, sed Philolachetem patrem suum (i. e. Theopropidem) perdidisse.

Most. 1082. || Scio, iocaris nunc tu: nam ille quidem edepol haud negat.
|| Immo edepol negat profecto, neque se hasce aedis Philolachi
Vendidisse.

Poen. 151. Quin si feriri video te, extemplo dolet.
|| Mihi quidem hercle. || Immo mihi.

Poen. 284. || Eu ecastor, quom ornatum aspicio nostrum ambarum, paenitet
Exornatae ut simus. || Immo vero sane commode.

Poen. 315. || Viden tu? pleni oculi sorderum qui erant iam splendent mihi.
|| Immo etiam in medio oculo paullum sordet.

Poen. 1360. ‖ Perii hercle. ‖ Immo haud multo post, si in ius veneris.

Pseud. 609. ‖ Quasi [1]) te dicas atriensem. ‖ Immo atriensi ego impero.

Pseud. 625. ‖ Quia videre inde esse: nam olim quom abiit, argento haec dies
Praestitutast, quoad referret nobis, neque dum rettulit.
‖ Immo adest.

Pseud. 635. ‖ Quasi [1]) tu dicas me te velle argento circumducere.
‖ Immo vero quasi tu dicas quasique ego autem id suspicer.

Pseud. 1199. ‖ Is quidem edepol Harpax ego sum. ‖ Immo edepol esse vis.

Rud. 986. Meum quod rete atque hami nancti sunt, meum potissimumst.
‖ Immo hercle haud est, siquidem quod vas excepisti.

•Rud. 994. Nullus est. ‖ Immost profecto: ego qui sum piscator scio.

Rud. 1097. ‖ Haud iniquom dicit, Gripe, ut ostendatur vidulus
‖ Immo hercle insignite inique.

Rud. 1367. ‖ Bene mehercle factumst: quom istacc res tibi ex sententia
Pulcre evenit, gaudeo. ‖ Istuc facile non credo tibi.
‖ Immo hercle, ut scias gaudere me, mihi triobolum
Ob eam ne duis: condono te.

Rud. 1369. ‖ Benigne edepol facis.
‖ Immo tu quidem hercle vero.

Rud. 1390. ‖ Quando ergo erga te benignus fui atque opera mea
Haec tibi sunt servata — ‖ Immo hercle mea, ne tu dicas tua.

Stich. 362. ‖ Non ecastor, ut ego opinor, satis erae morem geris.
‖ Immo res omnis relictas habeo prae quod tu velis.

Stich. 593. ‖ Quin tum stans obstrusero aliquid strenue. ‖ Immo unum hoc potest —.

---

1) Cf. Lorenzius ad Pseud. 635 (613).

Trin. 1185. Miseria una uni quidem hominist adfatim. || Immo huic parumst.

Truc. 204. || Tum pol istic puero pater Babyloniensis miles
Quoius nunc ista adventum expetit. || Immo ab eo ut nuntiatumst,
Iam hic adfuturum aiunt eum: nondum advenisse miror.

Truc. 422. Postid ego tecum, mea voluptas, usque ero
Adsiduo. || Immo hercle vero accubuo mavelim.

Truc. 752. || A, mitte intro. || Ad te quidem.
|| Immo istoc ad vos volo ire.

Truc. 957. Quid dedi! ut discinxi hominem. || Immo ego vero, qui dedi.

Caecil. Stat. (Ribb. com. frgm. pg. 81 IV)
Ad restim res redit. — Immo collus, non res.

Caecil. Stat. (Ribb. com. frgm. pg. 65 V)
Si linguas decem
Habeam, vix habeam satis te laudem, Lache. —
Immo vero haec ante solitus sum: res delicat.

Pacuv. (Ribb. trag. frgm. pg. 143 XIII[b])
|| Ego sum Orestes. || Immo enim vero ego sum, inquam, Orestes.

Andr. 618. || At iam expediam. || Expedies? || Certe, Pamphile.
|| Nempe ut modo. || Immo melius spero.

Heaut. 197. Atque haec perinde sunt ut illius animust qui ea possidet:
Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.
|| Immo ille fuit senex importunus semper, et nunc nil magis
Vereor quam ne quid in illum iratus plus satis faxit, pater.

Heaut. 350. Iam hoc quoque negabis tibi placere. || Immo, Syre,
Et me et meum amorem et famam permitto tibi.

Heaut. 852. || Ea res nunc agitur ipsa. || Quid narras, Chremes?
Immo haec quidem, quae apud me est, Clitiphonis est
Amica: ita aiunt.

Heaut. 1064. ‖ Aliam dabo.
‖ Immo, quandoquidem ducendast, egomet habeo propemodum
Quam volo.

Eun. 329. ‖ Incommode hercle. ‖ Immo enim vero infeliciter;
Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.

Eun. 408. Regem elegantem narras. ‖ Immo sic homost.

Eun. 409. Perpaucorum hominum. ‖ Immo nullorum arbitror,
Si tecum vivit.

Phorm. 644. ‖ Si quis daret
Talentum magnum. ‖ Immo malum hercle: ut nil pudet!

Phorm. 1043. ‖ Faciet ut voles. ‖ Immo ut meam iam scias sententiam,
Neque ego ignosco neque promitto quicquam neque respondeo
Prius quam gnatum videro: eius iudicio permitto omnia.
Quod is iubebit faciam.

Hec. 228. ‖ Non mea opera neque pol culpa evenit. ‖ Immo maxume:
Sola hic fuisti: in te omnis haeret culpa sola, Sostratâ.

Hec. 463. ‖ Quidquid est id, quod reliquit, profuit. ‖ Immo obfuit.

Hec. 877. ‖ Nescis, Parmeno,
Quantum hodie profueris mihi et ex quanta aerumna extraxeris.
‖ Immo [vero] scio, neque hoc inprudens feci.

γ) Epid. 263. ‖ At deridebitis.
‖ Non edepol faciemus. ‖ Immo si placebit, utitor
Consilium, si non placebit, reperitote rectius.

Men. 678. Scin quid est, quod ego ad te venio? ‖ Scio: ut tibi ex me sit volup.
‖ Immo edepol pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi,
Mihi eam redde.

Merc. 385. Eo ego, ut quae mandata amicus amicis tradam. ‖ Immo mane.

Trin. 427ª. ‖ Nempe quas spopondi. ‖ Immo „quas dependi“ inquito.

Heaut. 799. ‖ Quin egomet iam ad eam deferam. ‖ Immo filium Iube potius.

Eun. 759. ‖ Ah, metuo qualem tu me esse hominem existumes.

‖ Immo hoc cogitato: quicum res tibist, peregrinus est.

Per *immo* vocem negat Thais opus esse metuere eum; sed cogitet illum quocum res sibi sit esse peregrinum.

δ) Exempla, quibus alter per *immo* vocem respondet sub specie interrogationis, sunt rara.

Mil. 613. Sed volo scire: eodem consilio quod intus meditati sumus

Gerimus rem? ‖ Magis non potest esse ad rem utibile. ‖ Immo * * [1])

Quid tibi, Pleusicles?

Per *immo* vocem Palaestrio, quod senex adiuvans responderit, sibi sufficere negat; nam prius Pleusiclem interrogationi suae respondere se velle (cf. Brixius ad h. l.).

Mil. 978. ‖ Hercle occasionem lepidam, ut mulierem excludam foras.

‖ Immo vin tu lepide facere?

Militi servus sub specie interrogationis respondet rem non ita se habere, ut ille putet, sed alio modo, si velit, lepide facere eum posse; ne parcat divitiis (vv. 980—982).

1) Corrupta est codicum scriptura et variae sunt prolatae coniecturae. Cum vv. 596—612 et 614—812 trochaici sint septenarii, etiam v. 613 me iudice est trochaicus septenarius neque mutandus ita, ut habeat alios pedes, id quod fieret, si ab *immo* voce v. 614 inciperet (ut in CD). Post *immo* aliquid desideratur, neque tamen *immo optume* vel *immo optumumst* scribendum; nam interrogatio *quid tibi?* male sequeretur laudem, quam ipse auctor consilii nobis non noti sibi attribueret verbis *optume* aut *optumumst.* Verisimilius mihi videtur Palaestrionem imprimis Pleusiclis iudicium audire velle (cf. Brixius ad h. l. [v. 614]), quare eum hortatur verbis fere his: *Immo obsecro: Quid tibi* vel *Immo hoc rogo* (— *hoc volo.* — *hoc prius*, similia): *Quid tibi.* Quamquam concedo hoc exemplum esse peculiare. Sed similia sunt Mil. 978 et Pseud. 324.

Pseud. 324. Vel sex menses opperibor. ‖ Euge, homo lepidissume.
‖ Immo vein etiam te faciam ex laeto laetantem magis?

b) alter alterius sententiam confirmat sub specie negationis exemplis his:

α) Bacch. 340. Ab eo licebit quamvis subito sumere.
‖ Immo em tantisper numquam te morabitur,
Quin habeas illud quo die illuc veneris.

Mil. 635. Nam benignitas quidem huius oppido adulescentulist.
‖ Immo, hospes, magis quom periclum facies, magis nosces meam
Comitatem erga te amantem.

Per *immo* senex verba Pleusiclis, non rem mutat, ita ut eius sententiam augeat.

Poen. 188. ‖ Placet consilium. ‖ Immo etiam ubi expolivero,
Magis hoc tum demum dices: nunc etiam rudest.

Milphio Agorastoclem in iudicio quod fecerit de consilio perstaturum esse exponit, ubi consilium expoliverit; quibus in verbis simul inest correctio vel negatio quaedam; nam negat ille eum ita iudicare iam posse.

Pseud. 949. ‖ Lepide accipis me. ‖ Immo si efficies, tum faxo magis id dicas.

(Cf. Poen. 188.)

Stich. 550. „Immo duas dabo", inquit ille adulescens, „una si parumst".

Ubi sermo inter alios habitus ab Antiphone narratur (cf. Mil. 62, Curc. 345). Respondetur verbis *immo duas* sqq. eis, quae dicta sunt v. 548: *Nunc mihi reddi ego aequom esse abs te quicum cubitem censeo.*

Phorm. 877. ‖ Atque ego quoque inaudivi illam fabulam. ‖ Immo etiam dabo
Quo magis credas.

Hec. 869. Hic quos fuerat par resciscere,
Sciunt; quos non autem aequomst scire, neque resciscent neque scient.
‖ Immo etiam qui hoc occultari facilius credas dabo.

Bacchis Pamphili sententiam confirmans habere se contendit, quo cognito ille facilius in sua sententia perstaturus sit.

β) Aul. 307. ‖ Sic mihi te ut tibi med aequomst credo credere.
‖ Immo equidem credo.

Per *immo* Anthrax Strobili sententiam confirmat sub specie negationis; nam eius verborum sensus est: opus non est me a te de credendo moneri, quod equidem credo.

Aul. 781. ‖ Filiam ex te tu habes — ‖ Immo eccillam domi.

Immo corruptum esse atque hic sensu cassum dicunt praeter Wagnerum Ussingius et Beckerus (cf. Ussingius ad h. l. [v. 774]), quibus recte contradicit Seyffertus (Philol. XXVII pg. 439). Lyconides adulescens, ut filiam uxorem sibi det, ab Euclione petiturus est neque, cum de genere suo locutus sit, quaerit, ut Seyffertus vult — nam scit Euclionem habere filiam —, sed pergit loqui: *Filiam ex te tu habes.* Cui per *immo* Euclio, quasi interrumpens, respondet non solum habere se filiam, sed illam adesse domi. Confirmat igitur se habere filiam, idque — propterea quod verba Lyconidis accuratius demonstrando corrigit — sub specie negationis.

Bacch. 221. ‖ Atque eo fortasse iam opust. ‖ Immo etiam prius:
Nam iam huc adveniet miles.

Bacch. 892. Iam dudum hercle equidem sentio, suspicio,
Quae te sollicitet: eum esse cum illa muliere.
‖ Immo est quoque.

Miles respondet Chrysalum non solum sentire aut suspicari, sed re vera ita esse.

Bacch. 909. ‖ Quid eo intro ibis? ‖ Ut eum dictis plurumis
Castigem, quom haec sic facta ad hunc faciat modum.
‖ Immo oro ut facias, Chrysale, et ted opsecro,
Cave parsis in eum dicere.

Nicobulus dicit: non solum te sic facere sino, sed etiam te oro atque obsecro, ut facias.

Bacch. 1177. ‖ Ego quidem ab hoc certe exorabo. ‖ Immo ego
te oro, ut me intro abducas.

Epid. 417. || Rectam institit.
|| Immo ipsus illi dixit conductam esse eam
Quae hic administraret ad rem divinam tibi.

Per *immo* — quam vocem item ut *ipsus* ferri non posse quod Ussingius contendit, errare mihi videtur — ridicule rem amplificans (ut Leo adnotat) confirmat servum non solum rectam viam institisse, sed etiam ipsum rem perfecisse.

Merc. 297. Aiunt solere eum (i. e. senem) rursum repuerascere.
|| Immo bis tanto valeo quam valui prius.

Demipho et confirmat ea, quae Lysimachus dixerit, vera esse et reicit, corrigens alterius locutionem, rationem, qua id fieri hic dixit; exponit non solum repuerascere rursum senem, sed bis tanto valere (se senem) quam prius.

Mil. 245. || Ut, si illic concriminatus sit advorsum militem
Meus conservos, eam vidisse hic cum alieno osculari, eam
Arguam vidisse apud te contra conservom meum
Cum suo amatore amplexantem atque osculantem.
|| Immo optume.

Immo pravum esse Ussingius contendit neque esse exaggerationem, quam dixerit Brixius, atque una cum voce *ut*, quam sustulerunt Bentleius et Bothius, delevit. Alii pro *immo ut* alia substituerunt, quorum commenta allata invenies apud Goetzium (in edit. mai. ad h. l.). Ego et Bentleium (*ut* delentem) et Brixium secutus *immo* vocem servatam bene quadrare puto; cf. Brixius ad h. l. (v. 246).

Mil. 563. At non malitiose tamen
Feci. || Immo indigne: nam etc.

Per *immo* senex quasi assentitur verbis Sceledri servi, sed ita, ut aliud ei opprobrio det.

Pers. 719. || Credidi gratum fore
Beneficium meum apud te. || Immo equidem gratiam
Tibi, Toxile, habeo: nam te sensi sedulo
Mihi dare bonam operam.

Dordalus rem ita, ut fore ille crediderit, esse confirmat.

Rud. 1123. Dudum dimidiam petebas partem. || Immo etiam nunc peto.

Trin. 1157. ‖ Filiam meam tibi desponsam esse audio. ‖ Nisi tu nevis.
‖ Immo haud nolo.

Andr. 655. ‖ Scio: cum patre altercasti dudum, et is nunc propterea tibi
Suscenset nec te quivit hodie cogere illam ut duceres.
‖ Immo etiam, quom tu minus scis aerumnas meas,
Hae nuptiae non adparabantur mihi,
Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.

Pamphilus ea, quae Charinus ironice dicit, vera esse confirmat argumenta addens, quibus eum merito metuere vel recte sentire negat.

Andr. 673. Nisi id putas, quia primo processit parum,
Non posse iam ad salutem convorti hoc malum.
‖ Immo etiam; nam satis credo, si advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.

Pamphilus Davi dicta ironice confirmat (cf. Spengelius ad h. l.).

Heaut. 797. ‖ Haud faciam. ‖ Immo aliis si licet, tibi non licet:
Omnes te in lauta esse et bene aucta re putant.

Quod Chremes se non facturum esse, i. e. ad rem perficiendam auxilium ferre non destiturum esse, respondet, haec verba probans Syrus per *immo* vocem exponit eum non solum ita, ut velit, se gerere non posse, sed etiam si aliis liceat, ipsi non licere.

Eun. 877. ‖ Equidem pol in eam partem accipioque et volo.
‖ Immo ita quaeso [1]). Unum hoc scito, contumeliae
Non me fecisse causa, sed amoris.

Phorm. 338. ‖ Non pote satis pro merito ab illo tibi referri gratia.
‖ Immo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.

Phorm. 1047. ‖ Satin tibist? ‖ Ita. ‖ Immo vero pulchre discedo et probe
Et praeter spem.

(i. e. non solum satis mihi est, ut tibi, Demipho, sed etiam pulchre discedo etc.)

1) Cf. Adelph 927

Adelph. 928. ‖ Haud aliter censeo. ‖ Immo hercle ita nobis decet:
Primum huius uxorist mater (cf. v. 933).

Demea Micionis sententiam ita confirmat, ut quae et quo modo fieri velit exponat: non solum verbis, sed etiam re fratrem consilium comprobare decere.

Alter alteri respondet per dictiones 'immo si audias' et 'immo si scias'.

Nonnullis exemplis invenimus dictiones *immo si audias* (tantum apud Plautum) et *immo si scias* (et apud Plautum et apud Terentium); quae Epid. 451 et Eun. 355 exceptis per se ponuntur nullo obiecto, sive accusativo substantivi sive enuntiato, quod obiecti loco est, adiuncto (Merc. 298, Pseud. 749, Heaut. 599. 770) aut addito obiecto (Bacch. 698, Cas. 668, Curc. 321), ita ut sententiam primariam mente substituas post enuntiatum condiciale oporteat. Agit de his exemplis Lorenzius in Pseudoli editione, ibique cf. ea, quae adnotat ad v. 749 (728). Ussingius (cf. ad Merc. 298 [295]) scribit ad verba *si scias:* 'nota aposiopesis'. Quae plene dicere velit is, qui per has dictiones loquitur, ex conexu sententiarum intellegitur; substituenda enim sunt aut *hoc non dicas* aut *hoc magis dicas.* Per *immo* igitur item atque exemplis iam tractatis alter alterius verba a) reicit, b) confirmat sub specie negationis, quae in amplificatione simul inest. Videamus exempla

1) in quibus est *immo si audias.*

a) Bacch. 698. ‖ Quam malum facile, quem mendaci prendit manufesto modo?
Quem si orem ut mihi nil credat, id non ausit credere.
‖ Immo si audias quae dicta dixit me advorsum tibi.
(scil. non dicas hoc: *quam malum facile*).

b) Epid. 451. ‖ Nempe quem in adulescentia
Memorant apud reges armis, arte duellica
Divitias magnas indeptum? ‖ Immo si audias
Meas pugnas, fugias manibus dimissis domum
(= hoc magis dicas).

Per *immo* vocem Periphanes confirmat militem recte dixisse. Cum autem amplificat (cf. Ussingius ad Bacch. 208 [205]) dicta militis, sententiam eius mutandam esse se censere significat.

2) in quibus est *immo si scias*.

a) Curc. 321. ‖ Iam edes aliquid. ‖ Nolo hercle aliquid: certum quam aliquid mavolo.
‖ Immo si scias reliquiae quae sint.

Cf. Ussingius ad h. l.

Heaut. 770. ‖ Probe. ‖ Dic sodes. ‖ Nimium, inquam. ‖ Immo si scias.

Syrus, cum Chremeti omnia, quomodo re vera se habeant, ita dicat, ut hic non se ipsum, sed Menedemum falli putet atque consilium probet, per verba *immo si scias* senem magis hoc dicturum esse, si sciat, quae ipse sciat, confirmare seni videtur; sed Syrus ipse sic loquens cogitat illum, si sciat, quomodo re vera res se habeat, sententiam suam mutaturum esse.

b) Cas. 668. ‖ Scelestissumum me esse credo.
‖ Immo si scias dicta quae dixit hodie.

Cf. Ussingius ad Merc. 298 (295).

Merc. 298. ‖ Bene hercle factum et gaudeo. ‖ Immo si scias,
Oculeis quoque etiam plus iam video quam prius.

Cf. Ussingius ad h. l. (v. 295).

Pseud. 749. ‖ Probus homost, ut praedicare te audio. ‖ Immo si scias:
Ubi te aspexerit, narrabit ultro quid sese velis.

Cf. Ussingius ad h. l. (v. 753).

Heaut. 599. ‖ Pessuma haec est meretrix. ‖ Ita videtur. ‖ Immo si scias.
Vah, vide quod inceptat facinus.

Cf. Ussingius ad Bacch. 208 (205).

Eun. 355. ‖ Duras fratris partis praedicas.
‖ Immo si scias quod donum huic dono contra comparet,
Magis id dicas.

V.

Immo particula utitur aliquis ad sua ipsius verba mutanda.

Interdum alter cum altero colloquens, sive dicturus aliquid sive responsurus, non ab *immo* initium capit, sed aliis verbis praemissis per *immo* loqui pergit. Sunt autem exempla, quibus per *immo* alter respondet verbis alterius, sed ante ipsam hanc vocem interrogat ille, qui responsurus est, sive ut indignationem, sive ut mirationem exprimat, per *rogas?* Bacch. 206, *quid est?* Merc. 758, *quid narras (Chremes)?* Heaut. 851; qualem interrogationem Ussingius (ad Amph. 556 [552]) dicit „interrogationem indignantis". Haec exempla item ut Men. 534/5 (*mane. Immo*), Eun. 435/436 (*Nil minus. Immo*) alio loco tractavi, quia *immo* spectat magis ad verba alterius quam valet ad antecedentia verba eiusdem personae mutanda. Hoc loco alia potius exempla tractanda sunt, ubi

1) alter ex alterius verbis aliquid iterat sub specie interrogationis, quod iteratum ipse per *immo* vocem

a) repellit, exempli gratia:

Bacch. 672. ‖ Fortassis tu auri dempsisti parum?
‖ Quam malum parum? immo vero nimis multo minus quam parum.

Mil. 1367. ‖ Scio et perspexi saepe, verum quom antehac tum hodie maxume.
‖ Scis? immo hodie verum factum faxo post dices magis.

Cf. Brixius ad h. l.

Phorm. 419. „Actum" aiunt „ne agas". ‖ Non agam? immo haud desinam,
Donec perfecero hoc.

Phorm. 506. ‖ O fortunatissume Antipho. ‖ Egone? ‖ Quoi quod amas domist,
Neque cum huius modi umquam usus venit ut conflictares malo.
‖ Mihin domist? immo, id quod aiunt, auribus teneo lupum.

b) confirmat sub specie negationis (amplificat), exempli gratia:

Most. 907. || Ecquid placent?
|| Ecquid placeant, me rogas? immo hercle vero perplacent.

Pers. 721. . . . . nam te sensi sedulo
Mihi dare bonam operam. || Tibine ego? immo sedulo.

Ex antecedentibus Toxilus *mihi* repetit per *Tibine ego?* interrogationem; cui ipse per *immo sedulo* respondens confirmat non solum ei operam se dare, sed etiam sedulo id facere, quasi illud *sedulo* Dordali non audiverit.

2) alter respondens aut loquens ipse per *immo* vocem se corrigit (nullam interrogationem ex alterius verbis confictam praemittens) ita, ut verba sua modo dicta

a) reiciat, exempli gratia:

Cas. 369. || Huic — immo hercle mihi — vah, tandem redii vix veram in viam.

Cist. 521. Iam scio — immo, mulier, audi, meam ut scias sententiam.

Epid. 518. Eamne ego sinam inpune? immo etiam si alterum
Tantum perdundumst, perdam potius quam sinam
Me inpune irrisum esse.

Periphanes indignans interrogat, interrogata autem ipse per *immo* vocem reicit.

Most. 669. || Di istum perduint —
Immo istunc potius — de vicino hoc proxumo
Tuos emit aedis filius.

Cf. Lorenzius ad Most. 668 sq.

Poen. 1231. Sed illudquidem volui deicere: immo hercle dixi quod volebam.

Pseud. 542. || Quis me audacior
Sit, si istuc facinus audeam? Immo sic, Simo:
Si sumus con[s]pecti etc.

Andr. 629. Idnest verum? immo id est pessumum hominum genus,
Denegandi modo quis pudor paulum adest.

Andr. 889. An ut pro huius peccatis ego supplicium sufferam?
Immo habeat, valeat, vivat cum illa.

Heaut. 94. || Filium unicum adulescentulum
Habeo. Ah, quid dixi? habere me? immo habui, Chremes.

Heaut. 677. Quid si hoc nunc sic incipiam? nil est. quid, sic? tantundem egero.
At sic opinor: non potest. immo optume. euge habeo optumam.

b) confirmet sub specie negationis vel amplificet, exempli gratia:

Bacch. 1100. Me hoc aetatis ludificari: immo edepol sic ludos factum [1]).

Cas. prol. 38. Est ei quidem servos, qui in morbo cubat —
Immo hercle vero in lecto, nequid mentiar.

Most. 1164. Neque illi sum iratus neque quicquam suscenseo.
Immo me praesente amato, bibito, facito quod lubet.
(cf. de imperativis Lorenzius ad h. l.).

Rud. 1266. Mi liberte, mi patrone potius [2]), immo mi pater.

1) Hoc loco interpolatio facta esse videtur; turbata est versuum descriptio quae est in B. Itaque Leo verba *immo edepol sic ludos factum* delet, versum autem totum Ritschelius, quod confictus sit ad similitudinem versus 1090. Versus certe hoc loco supervacaneus est et conexum sententiarum turbat, cum eo eiecto omnia bene praecedant. Nam versibus antecedentibus (inde a v. 1098) apparet senem gravissime ferre, quod auro emunctus sit; hoc, hoc est, quo cor eius peracescit, hoc est demum, quo percruciatur (cf. Seyffertus Stud. Plaut. pg. 13). In vita cottidiana fieri potest, ut aliquis summa ira incensus id, quod molestissime fert, isdem fere verbis repetat. Hoc loco quod deceptus est Nicobulus senex valde indignatur. Sed Plautus, etsi eius genus dicendi proxime ad sermonem cottidianum accedit, tamen artioribus circumscriptus est finibus; leges quasdam poeticas secutus cultiorem sermonem appetit.

2) Assentior eis qui Reizii emendationem probarunt, et eadem causa commotus (cf. Schoellius in edit. mai., append. ad h. l.; C. F. W. Müller Plaut. Pros. pg. 587; Leo in edit.); praeterea *immo potius* nullo verbo intermisso neque apud Plautum neque apud Terentium inveniuntur, sed semper *potius* ei verbo, quod est maiore vi efferendum, postponitur; cf. pg. 25, adn.

Vid. 83. || Cave tu istuc dixis: immo etiam argenti minam
Quam med oravisti ut darem tibi faenori,
Iam ego adferam ad te: faenus mihi nullum duis.

De eo loco quem apud Ribbeckium frgm. comic. pg. 142 XXXIX—XLI (ex incertis incertorum fabulis) legimus, aliquid certi dicere dubito.

Quibus exemplis, et Plautinis et Terentianis, poeta *immo* vocem ad ornandum stilum et sermonem variandum adhibet, quod fit praesertim in eis, quae secundo loco enumeravi; hic enim is qui loquitur ipse interrogat (Pseud. 542) vel interrogationes inserit in verba sua (Epid. 518, Andr. 629. 889, Heaut. 94), quibus ipse per *immo* vocem respondet, aut sententiam modo prolatam (interdum tantum verbum modo prolatum) statim per *immo* vocem mutat, sive negans sive confirmans et amplificans. Talis usus, quem usum rhetoricum appellare liceat, prope accedit ad posteriorem, qui est apud scriptores pedestres, praesertim in orationibus.

CONCLVSIO.

Ut ea, quae ex observationibus nostris sequuntur, paucis complectamur, haec fere dicenda sunt:

Immo est vox, quae ad corrigendum aliquid (vel sententiam sententiae opponendam) usurpatur non solum ab altero colloquentium, ut alterius dicta (interrogationes, imperata, sententias) corrigat, sed etiam ab aliquo loquente, ut sua ipsius verba mutet vel corrigat, qui usus, ut modo commemoravimus, posteriorum, inprimis oratorum, similis est. Cum autem corrigendi vim habeat, haec vox et negat et confirmat, idque sub specie negationis; nam et illud et hoc inest in corrigendo:

1) Ea quae dicta sunt, omnino reiciuntur, cum contraria vera putentur aut alia ita efferantur, ut dicta priora tollantur.

2) Cum sententia, quae dictis prioribus exprimitur, probetur, vel in singulis vel in elocutione offenditur. Confirmatur igitur ita, ut simul aut accuratius definiatur aut amplificetur. Quae cum ita sint, verba, quibus sententia aut res probata

proposita est, reiciuntur atque dicere licet *immo* vocem confirmantis esse sub specie negationis.

Particulae cum apponuntur, non tam ad *immo* vocem pertinent quam ad ea quae sequuntur, atque si *immo* vocem una tantum particula sequitur (exempli gratia: *etiam* Bacch. 316, Andr. 673. 708), responsio est in illa particula; nam *immo* vox sola numquam potest respondentis esse, sed tantum (ut Eun. 812, Andr. 201, Hec. 228, Epid. 280, Pseud. 495) indicat, qua ratione illa particula, quae per se responsum esse potest (cf. Most. 1000), et antecedentia verba alterius inter se conectantur.

Nunc si ea, quae ex ipsis exemplis scaenicorum poetarum apparuerunt, consideramus — ut ad etymi quaestionem redeam — **Stowasseri sententia** reliquis quae prolatae sunt praeferenda esse mihi videtur. Cum enim *immo* imprimis in colloquiis fabularum inveniatur, et ita, ut ubique fere cum prima persona singularis componi possit, id quod rectissime vir doctus monet, veri non dissimile est *immo* olim fuisse verbum, cuius sola haec forma servata quasi adverbii vel particulae vim induit et rationem; neque ea, quae de usu vocis dicit (cf. praesertim Lat.-Deutsch. Schulwörterbuch, sub voce *immo*), abhorrere puto ab eis, quae modo cognovimus, neque a sententia vulgata. Quamquam ipse Stowasserus concedet probabilitatem huius etymologiae non maiorem esse quam in meris coniecturis possumus exspectare. Certe Plauti aetate illa forma, si quidem ad verbum pertinet, iam tantopere quasi riguerat, ut nemo qui in usu verae originis aperte memor esset inveniretur.

VITA.

Natus sum Paulus Specht Id. Oct. anni MDCCCLXXIX patre Albino, qui acerbissimo fato anno iam MDCCCXCVIII mihi ereptus est, matre Martha e gente Toeppen, in vico Lengfeld prope Meiningam sito. Fidei addictus sum evangelicae. Gymnasium Christianeum Isenbergense cum per octo annos frequentavissem, maturitatis testimonium adeptus anno MDCCClC me dedidi studiis philologicis et historicis Ienae, ubi me docuerunt viri doctissimi Delbrueck, Eucken, Gelzer, Goetz, Hirzel, Lorenz, Michels, Noack.

Fui sodalis ordinarius
proseminarii philologici moderantibus Gelzer, Hirzel per annum,
seminariorum philologici moderantibus Gelzer, Goetz, Hirzel per quinquies sex menses,
historici moderante Gelzer per ter sex menses,
item historici moderante Lorenz per duo semestria,
archaeologici moderante Noack per sex menses.

Denique exercitationibus archaeologicis, quas moderabatur Noack, interfui per quatuór atque metricis moderante Goetz per duo semestria.

Quibus viris doctissimis omnibus gratiam habeo quam maximam, praecipue tamen Georgio Goetz, qui studiorum meorum fautor semper benevolentissimus in hoc opusculo perficiendo consilio suo me adiuvit.